



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...

... De Excellentiss Sanctissimæ Virginis Mariæ Matris Dei

Louis François <d'Argentan>

Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1726

VD18 80217915

Consultatio XI. Legatio cœlestis: ubi explanantur mysteria circa
annuntiationem Virginis sanctissimæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45581

estimationem Excellentiarum Magni Sancti Joseph, & in corde suo nova propolita, majori dein-

ceps fervore ac zelo prosequendi devotionem erga Magnam hunc Sanctum.



CONSULTATIO XI.

Legatio caelestis, ubi explanantur mysteria circa Annuntiationem Virginis Sanctissima.



Apulimus circa meridiem in domo Regionis illius perquam amplam & magnificam, ubi invenimus duos juvenes nobiles male accipientes bonum quendam, annis jam gravem famulum Dei. Videbantur hi sibi pollere ingenio, omnemque intendebant nervum, ut comparata sibi multa rerum notitia, idoneos se redderent ad frequentandos omnis generis congressus, & jucunde conversandum cum personis cujuscunque tandem conditionis. Non erant profecto solida & fundamentali exornati scientia, eo quod nunquam navare voluerint operam studiis scholasticis, quae potius contemnebant summam, ita persuasi ex vituperio aliorum, falsaque imbuti opinione, illa non convenire nisi scholasticis, cum aliud non doceant, nisi artem disceptandi & contradicendi; eaque omnia, quae docent, non habere

acceptam illam agendi rationem, quae modò quaeritur & amatur in Congressibus personarum illustrium.

Edocti fuerant aliud medium acquirendi summa scientiarum lumina, absque eo, quod scholarum vel à longè salutarent limina; habebant persuasum sibi, non requiri aliud, nisi sedulam pulchrorum librorum lectionem, praecipue eorum, quae temporis accommodati sunt genio, & per hoc quantocyus & absque difficultate se fore adornandos magnis tribus perfectionibus, quibus mox summam sibi compararent existimationem. Prima erat puritas & sermonis elegantia: Siquidem hoc tempore tam concinnè texuntur sermones, verbis tam idoneis, tam benè collocatis, tam fluidis, tamque blandis, ut libros novos lectitandò summè oblectetur animus ex omni eo, quod dicunt, sive verum sit, sive falsum. Secunda erat, quod absque ullà laboris molestia

Error nonnullorum, qui videri volunt docti, abs eo, quod solide quid studuerint.

in enodandis scholarum difficultatibus absorbenda, & absque profunda illâ questionum spinosarum perforatione adhibitâ, inveniret omnes abundè jam explanatas in libris novis, qui ostendant ex illis, quod pulchrum est, & dicant omnia, quæ scitu sunt necessaria, ad loquendum de iis, nobilium virorum & non scholarium in morem. Et tertia, quæ præcipua est, quod addiscerent accipere res, sicut accipiuntur hodiè ab omnibus vitis prudentibus, citràque quod adhererent opinionibus veterum, sicut ingenijs mediocribus facere solemne est omnium novorum acquirere notitiam dogmatum, illa addiscerent propugnare & festivè sustinere, quod non levem sapientiæ parare & patere solet notam ac famam.

Periculum
legendi li-
bros docen-
tes opinio-
nes novas.

Hinc est, quod nonnisi lectio-
ni certorum librorum hujus tem-
poris voluerint vacare, qui plus
cæteris deprædicantur hodie, &
nonnisi mera dicuntur completi
oracula, quæ nôsse sufficiat, ut
quis doctrinâ optimarumque ar-
tium studijs excultus censeatur.
Siquidem axioma est, quod sapi-
pius suo effutiunt ore tam juvenes,
quàm fœminæ nasutulæ, omnes
alios libros respectu horum tam
nullius esse valoris, ut dignos com-
miseratione reddam eos, qui la-
borem sibi sumunt illos duntaxat
aspiciendo. Inveniant hi in hisce
libris adeò opinionem suâ excultis;

plurimas doctrinas olim prorsus
inustratas; didicerant contemnere
multa, quæ plurimi faciebat anti-
quitas; & plures in dubium voca-
bant veritates, quibus olim velut
certissimis indubitata adhibebatur
fides: Dicitur non potest, quantum
sibi aplaudebant, quod suum ex-
solverint animum tot submissioni-
bus, suum intellectum tot servi-
tutibus, quibus alias prudentissimi
quique cogebantur se subjicere, se-
que captivos dare: Siquidem, uti
opinantur, tantâ ipsimet pollebant
scientiâ, ut intellectum suum con-
stituere possint judicem vel ejus,
quod meretur approbationem,
vel illius, quod velut abusus de-
bet repudiari. Et ideò plurima
rejecerant eorum, quæ appellari
solent opiniones piæ, plurimas
quoque parvas devotiones, qui-
bus simplices nimium homines
hucusque se occupassent: Con-
tendebant insuper, & dabant ope-
ram, ut omnia, quæ dicebant,
saperent quidquam magni, &
etiam sub verbis ambiguis osten-
derent plus, mysterij, quam late-
bat sub illis, unico verbo, erant
homines prorsus ficti & facti ad
genium hujus temporis.

Aspiciant hi bonum quendam
senem, corollam precato-
riam suis tenentem manibus, &
paulisper temotum ab arbitris, sua
vota offerentem Deo. Quid faci-
cis hic bone Vir? dicebant ipsi:
Recis

Recito coronam meam, Illustres Domini, respondet senex, nolite quæso interpellare orantem, si placet vobis, nonnisi semel adhuc recitavi illam, & ter de die recitare, recepti apud me moris est. Desuper ipsi in ritum effusi irrisoriè dicebant ei: Non afficeris tædio, rem eandem toties & toties repetendo; *Ave MARIA, Ave MARIA, & exin iterum Ave MARIA, & semper Ave MARIA;* & credis te per hoc devotum esse Virgini, vel magnum ipsi exhibere honorem? est idem ac si crederes te magno honore afficere aliquam Personam illustrem, dicendo centies ipsi: Bona dies mea Domina, Bona dies mea Domina, Bona dies mea Domina, & bona dies mea Domina: Nonne ridiculum hoc foret, & offensæ potiùs, quàm honoris argumentum?

Bonus vir attonitus hæsit ex hoc idiomate, quod hucùsque audierat nunquam: Non enim fuerat in Germania, quando id publice è suggestu dixit famosus quidam Minister, metuens ex eo, quòd dixerat, ne lapideceretur ab auditorum suorum coronâ; & bonus hic vir quamvis ætate proventus, nunquam tamen inciderat in Galium, qui eò processerat temeritatibus, ut id repeteret. Nihilòminus simpliciter & candidè respondit illis: Semper tamen audivi,

illustres Domini, bonum esse, suam recitare coronam, eosque, qui indies recitant ipsam, expecturas opem Sanctissimæ Virginis tum in vitâ suâ, tum in agone suo; idèò, ne forsan partibus meis desim, malo illam sæpius recitare de die.

Ah miser & simplex Vir, quantum deciperis & quantâ adhuc teneris ignorantia! deplorandum sanè est; repetiti ubivis magnam indiscretorum devotorum frequentiam, afficientium injuriâ JESUM Christum, dum convertunt se potius ad Matrem ipsius, quàm ipsum, credentes se benè armatos esse adversus diabolum, quando manibus suam stringunt coronam vel Rosarium; aut se probè munitos esse contra severam Dei justitiam, quando circumferunt supra humeros parvum quoddam panni segmentum, quod vocant scapulare Virginis; vel quandò portant catenam implexam brachijs, ad insinuandum, se esse ipsius mancipia; non sunt ejusmodi nisi abusus, qui successivè irrepserunt in Ecclesiam, à quibus speramus opitulante Dei gratiâ ipsam brevi purgandam.

Omnia hæc auxèrè stuporem & admirationem in bono hoc viro & famulo Dei, qui paulisper incipiens turbari, cum ignoraret, cujus religionis essent, qui talia loquerentur, Calvinianæ sectæ ipsos esse credebat affectas; hinc

eorum

Objectiones Libertinorum contra coronas & Rosaria,

Responsum simplex sed efficax,

Objectiones contra devotionem erga Sanctissimam Virginem;

eorum abhorrens commercium recessit ab illis; cumque auspicato omine nos accedentes videret, mox junxit se nobis, terga vertentibus etiam alijs, aliisque concedentibus. Ductor meus charitate plenus, qui erat vel Angelus, vel homo illuminatus uti Angelus, mox advertit, pulsari animum boni hujus senis aliquam interea molestiam; sed nec ipse cohibere se poterat, quin illic enarraret nobis, quae dicta sibi fuerant ab euntibus illis, quos videremus,

Dominis; unde non levi inquietudine turbatum haberet animum; hinc plures quaestiones proponere incepit nobis circa devotionem suam erga Sanctissimam Virginem, sicut & circa suam *Ave MARIA*, quod sapientissime recitabat. Et hoc fuit, quod ansam dedit huic Consultationi, quam exceperunt duae aliae, quas institui oportebat, ad declarandum integrum mysterium Annuntiationis Virgini Sanctissimae, quod totum includitur in duobus. *Ave MARIA*.

ARGUMENTUM.

Quid Archangelus Gabriel tractaverit cum Sanctissimam Virgine missus ad ipsam à caelo.

ARTICULUS I.

Ave MARIA allatum è caelo in terram commovit totum universum, caelum, terram & infernum.

NE mireris, si certos quosdam offendas, qui praecatorum offendantur coram, qui abhorreant *Ave MARIA*, qui execrentur devotionem erga Sanctissimam Virginem. Nolle te oportet, quod, quando aportatum è caelo fuit ab Angelo *Ave MARIA*, & primam vice pronuntiatum in terris totum universum, à caelo usque ad profundissimam abyssum, ex eo commotum fuerit atque concussum. Caelum, quod intuebatur principium mysterij Incarnationis, ubi Majestas infinita Dei sese annihilabat, induens se carne mortali, ut homines redderet immortales, sancto

quodam contremuit & infremuit horrore. Terrae & totus hic major mundus in homine velut Compendio inclusus, exultabat praegaudio; edquod aspiceret principium mysterij incomprehensibilis Redemptionis suae, ubi dare debebat Deus vitam suam, ut salvaret ipsum; hinc & gaudij sui exhibuit signa appropinquante libertate sua. Sed quasi totus infernus & omnes demones jam expirarentur & sentirent formidandam praesentiam. Omnipotentis, qui eversurus erat totum ipsorum imperium, contremuerunt praepavore, & exterriti sunt, ubi primum pronuntiatum fuerat *Ave MARIA*

MARIA. An igitur mirum sit, si omnes reprobi, qui maledictorum horum spirituum sequuntur partes, amplectuntur sensa, tam acriter oppugnent id omne, quod spectat ad mysterium Incarnationis Verbi æterni, & non nisi contemptim loquantur de coronis, Rosariis, *Ave MARIA*, & devotione erga Sanctissimam Virginem.

Introitus
magnificus
gratiæ in
hunc mun-
dum.

Qui oculis corporeis aspexisset, quod invisibiliter agebatur, pronuntiante S. Archangelo Gabriele magna hæc verba: *Ave gratiâ plena, Dominus tecum*, fateretur, nullum unquam diem fuisse tam celebrem, tamque magnificum, per omnem sæculorum decursum; fateretur, quod, cum hic dies fuisset ille magnifici introitus gratiæ in inferiorem hunc mundum, unde expulsa fuerat à peccato & demonibus statim à mundi principio, dies introitus triumphalis Victoriosorum in Civitatem à se occupatam, nihil omnino sit in comparatione illius. Sed qui vidisset, quantâ cum magnificentiâ in hunc intraverit ipsa, nihil vidisset unquam tam Augustum, tam splendidum, tantâ plenum Majestate. Tres Personæ portabant ipsam in triumpho, Angelus, Virgo, Deus; Angelus, qui illam annuntiavit, Virgo, quæ ipsam recepit, Deus qui ipsam possedit; Angelus portabat ipsam in suis labijs, Virgo recepit ipsam in

R. P. Isaac Consultat. Tom. III.

castissimo sinu suo, & Deus portavit totum illius in exhaustum thesaurum in corde suo.

O quàm longè aliâ ratione tu loqueris, quàm locuti fuerint illi Domini, inquiebat, bonus hic Vir, jam mediâ ex parte consolatus, expone quæso, mihi fufius hæc omnia, quia magnâ me perfundis voluptate, dum ejusmodi fundentem te audio verba. Ecce Angelus, inquis, edocuit nos pronuntiare *Ave MARIA*.

Imò, respondit Viator, Angelus fuit, quem Deus hoc nomine misit de cælo, uti affirmat Sanctum Evangelium: *Missus est Angelus Gabriel*. Omnium munerum Angelicorum nobilissimum est, servire consilijs Dei pro stabiliendo imperia gratiæ ipsius in terris. Ipsi in hoc nuntij sunt & negotiatores; ipsi hujus gratiæ non sunt Domini, adeoque nec conferunt illam; sed gloriæ sibi ducunt, existere illius solùm præcones & procuratores apud Deum, qui impertitur illam hominibus.

Angeli annuntiant gratiam, sed non conferunt illam.

Cum quæstio fuerit, inquiebam ipsi, de gratiâ, quam conferre Deus voluit hominibus & non Angelis, & de magno quodam mysterio, ubi homo & non Angelus fieri voluit Deus nonne magis congruum fuisse videtur, si usus fuisset ad illud annuntiantium operâ homines, & non Angelis. Non, respondit mihi Viator: Nam sicut egregè dicit San-

Ss

ctus

Malus Angelus abtulit gratiam, & bonus Angelus restituit illam.

Aut Chryfologus, oportebat naturam humanam, ut feliciter restitueretur vitæ, eodem incedere passu, quo incessit, ut in feliciter condemnaretur ad mortem. Angelus lucis annuntiare debebat Verbum MARIE, eodquod Angelus tenebrarum annuntiaverit scientiam Evæ, juxta effatum illud regij: *Dies diei eructat Verbum, & nox nocti indicat scientiam;* Malus Angelus seduxit primam mulierem promittens ipsi scientiam boni & mali; *scientes bonum & malum*: Bonus igitur Angelus merito assumptus fuit in reparatione hujus ruinae, annuntians Sanctissimæ Virgini, quod conceptura erat Verbum Dei, in quo inclusi sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ divinae.

Cur Sanctus Gabriel hanc provinciam Sancto Gabrieli potius, quàm alicui alteri? siquidem credo splendidissimam ut maximi ponderis hanc esse, quæ poterat demandari alicui Angelo in cælis. Sanctus Michael, qui primus & præcipuus censetur: Omnium, nonne meritis & dignitate. Sancto Gabrieli præcipiebat palmam, magisque promerebatur illum? Non debemus, respondit Viator, inquirere rationes voluntatis Dei, eodquod ipsamet sit ratio, infinita ratione juxta omnium eorum, quæ volet facere. Nihilominus Sanctus Bernardus hujus assignat rationem ex eo,

quod Sanctus Gabriel extiterit Angelus Custos Sanctissimæ Virginis, & Providentia Dei, quæ disponit omnia suaviter, suas nobis communicare soleat gratias, per ministerium bonorum nostrorum Angelorum. Ante ipsum magnus Sanctus Gregorius allegaverat aliam dicens; quod, cum Incarnatio Filii Dei sit mysterium tam sublime, tamque difficile, ut impendisse videatur Deus omne robur Omnipotentis brachij sui ad exequendum illud, sicut ipsamet Sanctissima Virgo fatetur in suo Cantico: *Fecit potentiam in brachio suo*; maximè congruum fuerit, Sanctum Gabrielem, cujus nomen idem est, ac fortitudo Dei, magnum hoc Dei annuntiare opus, exponere consilium: *Gabriel namque fortitudo Dei dicitur*. Sed reperire est Episcopum in Consilio Ephesino, qui est proclus Lizyanus, verbis luculentis affirmans. *Gabriel sonat idem, quod Deus & Homo*; ubi unico Verbo constringitur totum incarnationis mysterium. Nonne congruebat summè, illum, qui mysterij portaret Nomen, annuntiare veritatem mysterij Incarnationis Verbi æterni?

Quâ ratione demandatum sibi confecit negotium, interrogat bonus ille vir? quomodò Angeli, qui puri sunt Spiritus, agent cum hominibus, quibus sunt corpora, nisi accommodent se nostro agendi

s. Gabriel
apparuit
Sanctissimæ
Virgini sub
formâ hu-
manâ.

di modo, qui corporalis est atque sensibilis? Sanctus Gabriel, respondit Viator, visendum se præbuit Sanctissimæ Virgini sub formâ & specie humanâ. Et conveniens omninò erat, ipsum in hoc apparere apparatu, edquòd in favorem hominum commissam sibi obierit Legationem; sicut &, cum annuntiatum venerit Nativitatem Salvatoris, qui futurus esset Deus invisibilis, absconditus sub corpore visibili, æquum omninò erat representare illum, exhibendo Angelum invisibilem corpore visibili circum amictum: nihilominus absolutè necessarium non fuerat ipsi hæc ratione apparere, ut Sanctissimæ Virgini manifestaret Dei voluntatem.

s. Augustinus lib. 12. super Genesim.

Siquidem Sanctus Augustinus nos docet. Angelis esse tres diversas rationes agendi cum hominibus, dum à Deo mittuntur ad ipsos. Prima est, per cognitiones intellectuales, quas effundunt in animos nostros, quæque interdum ex inopinato producant in nobis bonas cogitationes, quin constent nobis, unde oriuntur; vel per verba interna, quæ loquuntur animæ nostræ, cum quæ agunt spiritualiter, eâ ratione, quæ Angeli naturaliter sibi invicem loquuntur; Et ij, qui observant anxie, quid in mentis suæ agatur abditis, observaverint utique illos sæpius sibi loquentes, quidve suarum sit partium, haud obscurè admonentes.

Tribus modis cum hominibus agere Angeli possunt.

Eheu! Occupationes frivole animorum nostrorum, & effusio cordis nostri extra nosmetipsos, suffurantur nobis innumeras ejusmodi saluberrimas bonorum nostrorum Angelorum admonitiones! Ecce primam, magisque usitatam ipsorum agendi cum hominibus rationem.

Est ipsis alia magis sensibilis, minus autem communis; & est per species vel imagines, quas efforment in imaginatione, & sensibus internis, ubi interdum depingunt simulacra tam sensibilia, tamque manifesta, ut clarè & distinctè credamus nos res intueri, & id sæpius quidem in somno. Sic Sanctus Gabriel admonuit in somno Sanctum Joseph, ut subduceret Matrem & Filium persecutioni Herodis, cùmque illis fugeret in Egyptum, sicque securitatem sibi & illis præstaret à crudelis hujus Principis ferocitate: *Apparuit in somnis Joseph.* Angelus nempe exhibuit ipsi clarè in somnis imaginem sævissimæ hujus stragis, quam parabat Herodes omnibus infantibus in Bethleem, locisque vicinis. Verùm an fides adhibenda est somnijs? inquit ipsi bonus hic vir. Non, respondit Viator.

Non credendum semper est somnijs, sed nec etiam semper sunt contemnenda: Certum enim est, dari somnia divina, ubi loquitur Deus animabus, sicut locutus est Salomoni, quando replevit ipsum

Boni nostri
Angeli lo-
quuntur
nobis in
somno,

An credendum sit
somnia.

Sapientia. Inveniuntur etiam somnia Angelica, sicut illud Sancti Joseph, & illa tot tantorumque Vatum in veteri Testamento; & modo adhuc contingere potest, quod boni nostri Angeli nos admoncant plurimum rerum in somno: Et quando hoc non est, nisi ad operandum bonum vel evitandum malum, periculum subest nullum, si fides adhibeatur, sed potius negare hanc foret malum.

Angeli apparent quādoque hominibus sub formā corporum humanorum.

Habent denique tertiam agendi rationem cum hominibus, quæ adhuc minus usitata est, magis tamen sensibilis atque palpabilis, vix non dixerō materialem ipsam; & hæc est, quando assumunt Corpora omnino nostris similia; videmus ipsos, tangimus ipsos, auscultamus ipsos loquentes, intuemur ipsos operantes, ambulantes, laborantes, manducantes, bibentes, & cuncta alia perficientes opera nostris similia, ac si haberent vera Corpora humana. Sic Angelus Raphaël, junioris Tobie duobus omnino annis comes, exhibuit se ipsi v. sibilem atque palpabilem, conversabatur cum ipso familiariter, manducabat cum illo, ingerebat cibos ori, masticabat & deglutiebat illos; sed non digerebat, nec convertibat in ipsos substantiam suam, eoque caruerit verò corpore humano, tamen appa- ruerit ipsi prorsus simile, nec unius erat cum corpore, ad illud animandum, aut perficiendum om-

nes actiones spectantes ad vitam vel vegetativam, vel animale; sed solum ad utendum illo pro exantlandis certis actionibus necessarijs, ad exequendum injunctum sibi officium, uti est, loqui, agere, ambulare, dirigere & moderari Tobiam, suggerere ipsi consilia, & ejusmodi alia.

Hem itane, inquit Senex, quando apparuit Sanctus Gabriel, Sanctissima Virgini sub formā humanā, non habuit corpus humanum? Non respondit Viator, nonnisi illius habuit speciem & apparentiam; an ergo id quædam erat illusio? an habebat solummodo corpus aliquod phantasticum & imaginarium? adhuc minus, reposuit, habebat verum corpus materiale & palpabile, non tamen corpus ex carne, sicut est nostrum, nec corpus ipsi naturale; Erat corpus, quod ipsemet formaverat sibi vel ex aere, vel ex condensatis vaporibus, vel alijs quibusdam mixtis, quæ effinxerat ad similitudinem corporis humani, conferens ipsi figuram, organa sensuum, oculos, os, pedes ac manus, imò etiam vestimenta, & denique omnem speciem & apparentiam veri corporis humani: Verum hoc Corpus non constituebat partem substantiæ Angeli, qui induebatur illo, sicut corpora nostra constituunt partem nostræ substantiæ, & Angelus etiam non habebat illud, ut id animaret, vel vitam ipsi tribue-

An S. Gabriel habuerit verum corpus humanum.

S. Gabriel velut eius m. Regis quoniam structus fuit a raru n. gific.

bueret, sed assumpserat id solum, ut illud moveret velut machinam quandam artefactam, illoque uteretur velut instrumento, ad perficiendum quasdam actiones externas, exequendo suo ministerio necessarias.

S. Gabriel velut Legatus magni Regis Regum instructus fuit apparatu magifico.

Sub hac igitur apparen-tiâ Corporis humani, & sub formosissimi juvenis specie, intravit Angelus Gabriel in cubiculum Sanctissimæ Virginis, juxta hæc Sancti Evangelij verba: Et ingressus est Angelus ad eam: Invenit ipsam solam, & vacantem orationi, in quâ majorem vitæ suæ partem exigebat. Quâ putas percussam fuisse admiratione Virginem pudicissimam, cum in cubiculo suo videret se cum juvene solam? Verùm Legatus è cælo erat, missus in nomine totius Sanctissimæ Trinitatis: Et quia Legati apparatu se instruunt magifico & pretioso, dignitati principis, à quo mittuntur proportionato; hic, qui veniebat ex mandato supremi Monarchæ totius Orbis, tantâ se adornavit pulchritudine, tanto splendore, tantâque Majestate, ut excederet id omne, quidquid pulchrum, splendidum ac magnum in terrâ potest oculis usurpari: Et Sanctissima Virgo, apparatu hoc conspecto, probè cognovit, non esse hunc hominem quendam terrestrem, sed aulæ cælestis principem; hinc Legato Dei præbuit aures, quasi ipsi Deo præbuisset.

Colloquium ipsius cum illo fuit purissimum, & excedens omnem sensum: Virgo intendens in Corpus artefactum ab Angelo assumptum, velut purissimam quandam crystallum, clarè aspiciebat substantiam spiritualem Angeli, uti manifestis verbis affirmat nobis S. Athanasius: *Sancta Deipara Virgo nudam essentiam Gabrielis Archangeli contemplata est, & per hunc aspectum noverat optimè, sibi rem non esse, cum quodam corpore, sed cum spiritu. Interpellavi hîc ipsum, dicens: si ita est, oportuerat permanere ipsam tranquillam & pacatissimam; Et tamen Evangelium nobis dicit, quòd perturbata fuerit ex hoc Eventu. Turbata est.*

Verum est, reposuit illicò mihi; Sed nonne vides, quòd Evangelium non dicat, turbatam fuisse ipsam ex eo, quòd videbat, sed ex eo, quòd audiebat: *Turbata est in sermone ejus; Verbum erat, quòd concussit ipsam tremore; Verbum dico, non Angeli, sed Verbum Dei, Verbum æternum, cujus percipiebat infinitam Majestatem in Legatione Angeli, declarantis sibi, concepturam se in castissimo utero suo adorandum Verbum Dei. Ut quid ex hoc turbata est, reponebam ipsi? duo ipsi erunt motiva non aspernanda: primum erat, profunda ipsius humilitas; secundum incomparabilis ipsius puritas.*

S. Athanas. lib. quest. ad Antioch. q. 12.

Sanctissima Virgo vidit clarè essentiam Angeli.

Quare Sanctissima Virgo turbata sit.

Exaltatio
concurrit
tremore ve-
ros humiles

Ex unâ parte profundissima ip-
sius humilitas pariebat in eâ hanc
turbationem: Cum enim sese cre-
deret creaturarum omnium novis-
simam & vilissimam, quando di-
ctum est ei, concepturam se in
purissimo utero suo Verbum aeternum,
Filium Dei, qui splendor est
infinitæ gloriæ Dei Patris sui, seque
per hoc sublimandam fore ad su-
premam Matris Dei dignitatem,
hæc gloriæ immensitas, pavore &
tremore convulsit ipsam: Sicut
enim nihil magis perturbat valdè
superbum, quàm ingens humilia-
tio, sic nihil perturbat magis valde
humilem, nisi ingens Exaltatio.
Bone Deus! quàm procul absumus
à primâ solummodò veræ
humilitatis tincturâ! Quis nostrum
omnium est, cujus cor non gau-
deat, dum aliquâ augetur honoris
etiam minimi prerogativâ? & ex-
altatio tam sancta, tamque divina,
quàm Deus ipsemet Sanctissimæ
offerebat Virgini, tremore concu-
tit ipsius humilitatem.

Amor San-
ctissimæ
Virginis
erga Virgi-
nitatem.

Ex alterâ parte non minor ipsius
est turbatio, ratione Virginalis
puritatis suæ, eoquod voto ex-
presso consecraverit hanc Deo; &
amabat hanc magis propriâ vitâ
suâ, & maluisset viva detru-
di in infernum, quàm fœdare ipsam
maculâ vel minimâ. Quando in-
telligit futuram se Matrem, me-
ruit, ne futurum id sit cum Virgi-
nitatis jacturâ; nec sufficit ad ab-
stergendum umorem, ipsi dicere,

quod futura sit Mater Dei: Si enim
propterea toleranda est jactura
Virginitatis, renuntiare mavult
sublimi huic Matris Dei dignitati.
Incessum dicit ipsi Angelus: *Na-
timeas MARIA; invenisti gra-
tiam apud Dominum, concipies &
paries Filium, & vocabis Nomen
ejus JESUM; hic erit Filius Al-
tissimi, & regnabit in æternum:*
hic enim dignitate Matris Dei neu-
tiquam ipse vel minuitur, vel
tollicur turbatio: siquidem metu-
it ipsa semper pretiosæ sibi, pluri-
mumque dilectæ Virginitati suæ;
hinc respondet Angelo: Quómo-
do fiet istud, quoniam Virum non
cognosco, nec cognitura suam un-
quam? Et quoad Angelus asseve-
ret ipsa, lædendam in minimo
suam fore Virginitatem, omnia-
que ad implenda, mediante puris-
simâ & proorsus divinâ Spiritûs San-
cti operatione, non acquiescit, nec
suum præbet annutum.

Virgines Christianæ, quæ San-
ctissimam aspiciatis Virginem, ve-
lut sexus vestri gloriam & hono-
rem; vos, quæ ex instituto ipsam
colitis, ipsam imitari studetis, at-
tendite, quàm egregium ipsa vo-
bis hæc præbeat exemplum; humi-
litas & puritas percellit ipsam tre-
more in Angeli præsentia, quam-
vis Angelum ipsum esse nôllet op-
timè; dumque dicentem sibi au-
dit, se fore Matrem, & quidem
Matrem Dei, non exiit timore,
Quant. ergo astimabat duas hæc

VI-

Pulchrum
exemplum
propositum
Virginitatis
Christianis

virtutes, humilitatem & Virginitatem? quanto fervore, quanto amore, quanto desiderio flagrabat conservandi ipsas? Sanctus Bernardus dicebat, has duas virtutes excelluisse in ipsa, Deumque ita oblectasse, ut elegerit ipsam præ omnibus alijs creaturis in Matrem suam: *Virginitate placuit, humilitate concepit.*

Humilitas & Virginitas sunt inseparabiles, nec una conservatur sine altera.

Virgines Christianæ memento te, duas hæc virtutes magis esse debere vobis cordi, quàm duas oculorum vestrorum pupillas; separari ab invicem nequeunt, si amiseritis unam, proximum periculum jam subit altera; nisi fueritis humiles, diu castæ non eritis: Mundus, cui exploratum hoc est, expugnare volens castitatem, prius humilitatem oppugnat. Iste illud for, qui non nisi brutas fovet cogitationes erga simplicem hanc creaturam, cuique alia non est mens, nisi agendi ipsam in summum probum ac dedecus, nihilominus juxta speciem externam summam prosequitur ipsam veneratione, millenarum laudum velut cuidam

Deitati accendit ipsi thura, suum nuncupat ipsam Angelum, & contestatur, se ipsius esse adoratorem: optimè nempe novit veterator, quòd si inflare ipsam possit vanam arrogantiam & superbiam, exuenda mox sit castitate & pudicitia. O Deus! quàm sollicitam, oportet esse pudicam Virginem ad conservandam suam innocentiam! oportet ipsam semper sibi ipsi diffidere & metuere omnia; præsentiam viri habere debet suspectam, quando se ipsi Angelus conspiciendum præberet è cælo; Sed nec minus abhorreere debet vanas laudes, quàm impudicas cogitationes.

Bonus noster senex, qui non admodum indigebat hæc admonitione, ardentè exoptabat prosecutionem discursus de Legatione Archangeli Gabrielis ad Sanctissimam Virginem, cujus initio ita oblectabatur; rogavit itaque instantè Viatorem nostrum, ut prosequeretur illum; quòd & fecit, uti intelliges.

**
*

ARGUMENTUM.

Qualis fuerit Legatio Archangeli S. Gabrielis ad Sanctissimam Virginem.

ARTICULUS II.

Nunquam majus fuit negotium, Sicut tractari nullo tempore fuit visum tanti ponderis negotium, quale tractavit Satus Gabriel Angelus, sic etiam quàm illud Legatio conspecta nunquam fuit Incarnationis tam solemnem, sicut illa, quæ principii.

cipi

cipi huic cœlesti fuit demandata. Quando agitur de commodis vel incommodis magni alicujus Monarchæ, dicitur; negotium hoc est magni ponderis, ipsam Principis concernit personam: Quando negotium non tangit solum ipsius personam, sed etiam omnes Regni ipsius subditos, dicitur; negotium est ponderis maximi, involvit & implicat id omnes: Et quando commodum vel incommodum illud se extendit usque ad bona, usque ad honorem, usque ad vitam ipsam omnium subditorum, dicitur; negotium hoc est supremi ac summi omnino momenti, agitur de universali & omnimodâ jacturâ rerum prorsus omnium: Et ad tractandum hoc negotium procul dubio eligitur Vir rerum agendarum peritissimus in toto regno.

Omnium mortalium hic inter est, omniumque bonorum suorum hic agitur salus.

Nihilominus quid magnum hoc negotium sit, nisi palea, respectu illius quod tractatum venit Sanctus Gabriel, ceu Legatus è cœlo missus ad Sanctissimam Virginem? Non agitur hic solum de commodis Regum maximi in terris, omniumque Monarchiæ ipsius subditorum; omnes Reges mundi, omnesque ipsorum subditi hic in partem veniunt; non solum autem eorum, qui per unum aliquod vixere sæculum; sed omnium, qui occupant terram, illamque occupaverunt & occupabunt à creatione mundi, usque ad novissimum sæculorum diem, nec unico exce-

pto res hic agitur, dependet salus à bono vel malo Legationis hujus eventu; non autem res vel salus hic agitur omnium, concernens bonum aliquod temporale, vel honorem transitorium, vel vitam caducam & mortalem; Sed concernit bonum vel malum infinitum, honorem vel infamiam perpetuam, vitam vel mortem æternam. An majoris momenti excogitari possit negotium?

Non autem hic sistitur, sed ulterius hæc res suos extendit limites; Omnium beatorum Angelorum hic quoque interest maximi: Aspiciunt ipsi ruinam & cladem, quam primi Angeli peccatum Angelicæ attulerat naturæ, quodque infelix hic, cum non exiguam Angelorum multitudinem suâ involvisset rebellionem, ipsos secum egerit præcipites in barathrum damnationis æternæ, adeoque plurima reliquerit loca vacua in Hierarchiis suis. Nôrunt ipsi, nunquam adimplenda fore illa, vel conversione malorum Angelorum, vel novorum creatione, nec nisi homines in terrâ esse, qui occupare illa valeant in cœlo: Exploratum insuper habent, naturaliter id impossibile esse hominibus; Sed quando vident descendere Deum in terram, ut ascendere faceret homines in cœlum, suas resarciendas fore sperant ruinas; quodque cum DEUS maximo cum portento factus sit homo, idem Deus, maximâ ex bonis

Dei ip
hic qu
plurim
intere

Omnium Angelorum etiam hic refert plurimi.

bonitate assumpturus sit homines, ad replendas rebellium Angelorum ruinas. Ecce Igitur, quanti ipsorum referat, si auspiciatum referat eventum S. Gabrielis operosa Legatio: Quis ergo æstimare possit hoc negotium, unde omnium tum Angelorum tum hominum tam ingens dependet emolumentum?

Dei ipsius hic quoque plurimum interest.

Ulterius adhuc res devolvitur: nunquam non maxima creaturarum commoda levissimum quid sunt, in comparationem adducta cum minimo emolumento Dei. Sed præcipuum & maximi ponderis est, quod Dei in tantum hic referat, ut omnis ipsius gloria extra ipsum, dependeat ab operosi huius negotij eventu. Agitur namque de componendâ universali pace cælum inter & terram, Deum inter & humanam naturam, quibus diffidium jam erat à creatione mundi. Et ad stabiliendum hanc pacem, agendum est de connubio, quod duas hæc partes tam arctâ constringat necessitudine & propinquitate, ut amplius non sint, nisi una eademque persona; tamque forti, ut nec vita, nec mors nec quidquam aliud illas unquam valeat ab invicem separare: Et hic scopus est magni huius negotij, à quo dependet æterna felicitas hominum, restauratio beatitudinis Angelorum, & tota gloria, quam recipere potest Deus à creaturâ.

Sed cui demandetur tanti cura

R. P. Isaac Consultat. Tom. III.

negotij? eòquod operosissimum id sit, & majoris, quàm unquam aliquod esse potuerit, momenti, hinc præstantissimi & excellentissimi, qui unquam fuerit requiritur opera Legati. Sanctus Gabriel eligitur præ cæteris omnibus ad suscipiendam & feliciter exantlandam tantæ molis provinciam. Sanctus Augustinus declarat nobis, quâ ratione hæc ipsi fuerit demandata *Occultum contrahitur (inquit ipse) connubium, in utero Virginali MARIÆ; Archangelus Sanctus Gabriel ejusdem est Paranympus, ne exterreatur Virgo, dum promittitur ipsi, sponsum illius fore spiritum Sanctum, & nasciturum ex ipsâ Filium, illæsa & integrâ manente puritate ipsius.* Requiritur igitur MARIA è regno cælesti, mittitur Angelus, & Rex ipse totus resurgens Majestate, ingens hoc moderatur negotium. Interim dum Deus id committit muneri, obstupescunt Dominationes, admirantur Throni, omnesque cælestes Spiritus, præ reverentiâ altum observant silentium.

Ito Gabriel, accelera gressum; trajice ingens hoc spatium, quod cælum est inter & terram, affer consilij nostri nuntium Virgini MARIÆ: habitat in parvâ civitate Nazareth; septa murorum ejus angusta sunt; domus, quam incolit, parva est; sed tota amplitudo regni cælorum patet ipsi; dic illi, decretum esse, quod su-

T t

cura

S. Augusti-
nus serm.
de Annun-
tiatione re-
quirebatur
magnus Le-
gatus ad
hoc nego-
tium.

tura sit Mater Unigeniti Filij
DEI.

Ubi primùm peramplò hoc Archangelus Gabriel adactus est munere, in præsentia omnium Angelorum cœlestium, qui cum reverentiâ percipiebant hæc iussa; ipse totus accensus zelo, sed sancto quodam pavefactus horrore ob magnitudinem injuncti sibi mandati, id quantocytus mandare parat executioni. Ut appatu se instruat Legationis suæ magnitudini congruo, induitur corpus, quòd corpus apparebat humanum, cui amplissimum confert ornatum, pulchritudinem, splendorem, magnificentiam: Et quia magni Legati iter non faciunt absque magno Comitatu, assumit secum plures legiones beatorum Angelorum, tamque pomposo circumfusis splendore, tamque magnificâ stipatus coronâ, discedit iter prosequitur, accelerat, & præcipiti volatu descendit cœlum & æthram, & resurgens Majestate cum toto suo comitatu intrat parvum Virginis Sanctissimæ cubiculum.

Locus tam parvus tam numerosam catervam an poterat capere, interrogabat bonus hic Vir! Imò, respondit Viator, quia Angeli sunt puri Spiritus, nec occupant locum, ubi sunt, ita ut, quando centum legiones simul essent, omnes esse possent in spatio minori, quàm sit illud, quòd occupat extremum digiti. Hem itane, reponit Senex,

non omnes, sicut Sanctus Gabriel, habebant corpora? Non, respondet Viator, ipse solus amictus erat Corpore, quia ipse solus Legatum agebat ad Sanctissimam Virginem, quæ corpore constabat. Unus solus Angelus induitur Corpore, ed quòd unica sola trium divinarum personarum assumptura erat corpus humanum. Est aliquid aspexisse hujus molem & pondus negotij, sicut & gloriam illud exequentis Legati: Magis aspectu jucundus est modus, quo impositæ sibi Legationis adimplevit Provinciam.

Non protrahit longum coram ipsâ discursum, refertum supervacaneis & officiosis verborum blandimentis; loquendum ipsi non fuerat nisi de profundissimo divinitatis arcano; non offert amplam explanationem mysterij, quòd ipsi annuntiabat, quòdque omnium Sanctorum Patrum à tempore, quo adimpletum est, fatigabat eloquentiam: Loquebatur Matri divinæ sapientiæ, quàmque Ecclesiam nuncupat Virginem prudentissimam, peritam idiomatis Dei, quòd nonnisi in unico consilii verbo.

Ipsemet Deus composuerat & præparaverat sermonem & allocationem Legati sui, quàm Archangelus maximâ cum reverentiâ acceptam à Deo, pronuntiavit salutando Sanctissimam Virginem profundissimâ cum submissione: Ave

gra.

Quâ ratione s. Gabriel conceperit hanc Legationem.

Consi-
tio a
simpl
circa
celle
salut
nis A
lisz.

gratiâ plena, Dominus tecum; nihil adjunxit, nihil immutavit, & quia proprias suas non explanavit cogitationes, etiam propria sua non effatus est verba, sed illa Omnipotentis, à quo missus fuerat, Monarchæ, quique per os sui loquebatur Legati Sanctus Gabriel benè noverat, se loqui Matri Dei, ipsamque vocari MARIAM, sed ex reverentiâ pronuntiare non audebat augustum hoc Nomen; Et quia non loquebatur à seipso, in alia se diffundere verba noluit, nisi quæ Deus nomine suo annuntiati jussisset Sanctissimæ Virgini.

Consideratio animæ simplicis circa Excellentiam salutatio- nis Angelicæ.

Hic bonus noster senex, qui nonolvebat animo, nisi coronam suam, Rosarium suum, suumque Ave MARIA, expergefactus est, quasi subito contactus motu & impulsu quodam divino, unde & summo persundebatur gaudio: Itane, inquit, mi Domine, uti dicentem te audio, Ave MARIA, non est oratio composita ab hominibus in terris, sed venit de cælo, ipsum Auctorem habens Deum, quam postea ex ipsius mandato attulit in terras Angelus, & primum, quod hic Angelus in terris fecit, erat dicere suum Ave MARIA. Bonum est ergo illud dicere, cum id ipsum sit exequi voluntatem Dei, imitari Angelum, placere Sanctissimæ Virgini. O quantum majoris demceps faciam illud, quam fecerim hucusque, illudque recitabo sæpius. Non credo, me quid-

quam dicere posse, quo magis honoretur, ampliusque delectetur Sanctissimæ Mater Dei.

Verum est, mi Pater, respondit totus consolatus Viator noster, prætiū Angelicæ salutatio- nis. Valor & prætiū Angelicæ salutatio- nis. Salu- tatio hæc Angelica præstantissima est, excedit omnia, quæ vel dicere, vel cogitare possumus. 1. Est brevissima in verbis, sed tantò abundat sensu, ut omnia complectatur arcana mysterijs Incarnationis. 2. Tantæ est nobilitatis in suâ origine, ut concepta fuerit in corde ipsius Dei, edita in lucem ab Angelo, & suscepta à Matre Dei. 3. Tantæ est virtutis, ut terrore concutiat Dæmones, omnes Sanctos oblectet Angelos, & in corde Sanctissimæ Virginis totum re- novet gaudium, quo delibuta fuit Sanctissima Virgo, quando aspexit se Matrem Dei. 4. Ipsa tanti æstimatur à totâ Ecclesiâ, ut cum illam legat in eodem Evangelio, ubi legit Pater noster, orationem ab ipso JESU CHRISTO compositam & sanctissimo ipsius ore pronuntiatam, eadem veneratione ipsam prosequatur; quam dum absque intermissione repetit, imitari intendit Carmen illud perpetuum, quod modulantur Angeli Majestati Dei in cælo, quando incessabili voce proclamant; Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus. Nonne videbitur tibi Ecclesia militans respondere triumphanti, in morem alterius Chori Musici, dum inces-

Quid dicendum sit illis, qui vituperant, quod toties repetatur. Ave MARIA,

santer repetit: *Ave MARIA, Ave MARIA, Ave MARIA.*

Hoc ad amissim erat boni nostri senis cor tangere, quo oblectabatur maxime. O quanto me afficis solatio, inquit mihi, vultu hilari, totusque perfusus gaudio; quantum oblector, dum talia audio! Veniant deinceps, mihi que exprobrent, me sæpè nimis meum recitare rosarium, dicantque illud foris, me incessanter repetendo *Ave MARIA*, ita importunum & molestum accidere Virgini Sanctissimæ, ac si centies pro unâ vice dicerem ipsi: Bona dies, mea Domina, bona dies mea Domina, bona dies mea Domina; haberè enim, quod responderem ipsis: siquidem dicerem, me facere in terris respectu Matris Dei, quod faciunt Angeli in cælis respectu ipsius Dei; quodque, si hoc displiceat ipsis, videant, an imitari malint infernum, seque Cantatores adungere rabiosæ sym-

phoniz, melius dixerò, horrendis ululatus dæmonum, qui in rabiem aguntur ex eo, quod incessanter laudetur JESUS CHRISTUS, & Sanctissima Mater ejus in cælo & in terrâ.

Hoc dicto derepentè obmutuit; An igitur contentus non es, interrogat ipsum Viator? Contentus, Domine reponit Vir bonus, imò contentissimus ex eo, quod dixisti mihi. Sed quæso explanate ne cesses alia prodigia circa Legationem Gabrielis Archangeli; non enim hæc omnia mihi constant, & illa addiscendi immorior desiderio. Nôsse autem percuperem, quando & quomodo is se exhibuerit Sanctissimæ Virgini, quâ ratione ipsa receperit hanc Legationem, quoniam nam ejusdem fuerit eventus; Et denique quæ alia particularia acciderint in magni hujus negotij Executione. Rogo te, speciatim circa omnia me informa.

ARGUMENTUM.

Quando & quomodo Archangelus Gabriel suam ad Sanctissimam Virginem confecerit legationem, & quid ipsa responsi dederit.

ARTICULUS III.

Dicendum non est, quod Sanctus Archangelus Gabriel assumpserit sibi tempus ad salutandum Sanctissimam Virginem; Angeli enim tempus non habent, non habent nisi ævum

vel æternitatem, & si quid faciunt in tempore, est, quando Deus mittit ipsos. Sed nec assumpsit sibi tempus assignatum à Sanctissimâ Virgine, sicut Legati assument tempus destinatum sibi à principibus

bus, ut ab ijs audiantur, edquod non esset in libertate Virginis recipere hunc cœli Legatum, quando ipsa volebat; sed ipsa disposita semper erat, semper expedita ad audiendum Deum; adeoque tunc erat, quando adoranda suæ id placuit Majestati Vates quidam dixit, quod assumpturus is esset medium temporum: *In medio annorum notum facies.* Et ex hoc aliqui voluerunt concludere, quod tot anni si superstites essent usque ad finem, quot effluerant ab ipsius creatione, usque ad Mysterium Incarnationis; verum si hæc supputatio vera esset, certò constaret nobis de extremo iudicij die, quod manifestè est contra Evangelium, assistans, id arcanum esse incognitum hominibus.

Novimus quidem, quo anno, postquam numerari ceperunt anni à partu Virginis; Usque modò igitur, dum hæc vobis loquor, effluxere anni 1680. Tota Ecclesia credit, id fuisse die 25. Mensis Martij, edquod hoc die celebret Festum Annuntiationis Sanctissimæ Virginis. Sanctus Chrysostomus & Sanctus Augustinus scripserunt fuisse diem Veneris, ut formatio primi & secundi Adam eodem die occurreret. Sanctus Athanasius affirmat, id fuisse valde manè, circa horam, quâ matutinas horas cantare usitatum est Ecclesiæ, ut dies gratiæ inciperet inde, unde inceperat primus naturæ

dies; Et quia hæc hora est, quâ anima nostra magis solet esse tranquilla, meliusque disposita ad agendum cum Deo in oratione. Et S. Bernardus dicit, quod Sanctissima Virgo inclusa fuerit sola parvo cubiculo suo, ne interromperetur in oratione suâ, vel sacrorum librorum lectione, cui ut plurimum navabat operam: Ne orantis perturbaretur silentium.

Archangelus Gabriel non pulsavit ad januam, ut hanc sibi cupe- ret aperiri, non excitavit magnum strepitum, ut innueret, se intrate velut Dominum, vel ut Legatum Supremi Monarchæ hujus mundi; sed intravit penetrans muros, edquod fuerit Angelus, & non assumpserit corpus opacum, sicut alij, sed corpus subtile & agile, veluti spiritus. Intrat silenter, & profundâ cum humilitate, edquod non venerit imperaturus, sed requisiturus, velut obsecrando, concessum Sanctissimæ Virginis. Nonne hoc vobis mirabile videtur, quod suprema Dei Majestas mitat ipsi unum è primis cœlestis aulae principibus, ad requirendum ipsam, an consentire velit in conubium, quod contrahere percuperet divinam inter & humanam naturam in purissimo utero suo? Irâne ergò necesse erat exposcere & expectare ad hoc Sanctissimæ Virginis consensum? Nonne enim, sicut Deus eduxit corpus primæ fœminæ è Corpore Adæ, abs eo, quod

T t ;

Habac. 3.
Quo tempore peractum sit mysterium Incarnationis.

S. Athanasius serm. de Deip. Virg.

S. Bernard. hom. 3. super Missus.

Quo loco, quo die, quâ horâ & quomodo,

quod quidquam ipse de hoc sciret (oppresserat enim ipsum sopore) ita etiam facere potuisset, ut Sanctissima Virgo evaderet Mater Unigeniti sui Filij, quin id voluisset ipsa, vel etiam de eo quidquam percepisset; edquod concipere & formare corpus infantis, dependeat quidem à virtute naturali, sed non à liberâ voluntate Matris.

Exemplum
humilitatis
in ipso Deo,

Et nihilominus infinita Majestas Dei, non contenta demittere se usque ad nihilum conditionis nostræ humanæ, vult insuper ad hoc requirere consensum creaturæ suæ, idque agendi quasi facultatem. O stupendam bonitatem! quàm eximium submissio- nis exemplum præbes nobis? Quomodo agnata nobis superbia & effrænis dominandi libido comparere audebit coram incomprehensibili humilitate hæc & mansuetudine? Itane! Bonitas infinita, non ergò sufficit affecisse Sanctissimam Virginem honore, ut eligeres ipsam in Matrem tuam; vis insuper accedere consensum voluntatis ipsius, ut, cum maximum, quod extra te ipsum conficere potes opus, fieret ipsi liberum, esset ipsa quòque meritum; tunc etiam crederes ipsi totum boni hujus operis meritum quod infiniti est valoris, edquod, eum nullum acquisieris meritum, Incarnandò te, nullam illius reservaveris partem pro te. O hono-

Totum me-
ritum mag-
næ hujus
æstionis
mansit San-
ctissimæ
Virginis

rem! ô felicitatem! ô gloriam! ô meritum infinitum Sanctissimæ Virginis! Sanctus Bernardinus Senensis credit, ipsam plus fuisse promeritam unico hoc voluntatis suæ consensu, quàm omnes Angeli & omnes simul homines promeruerint unquam in omnibus, quæ egerunt, quæ dixerunt, quæ cogitârunt Sanctissima quæque, toto tempore vitæ suæ.

Sed nôsse percuperem, interrogat hic senex, quâ reverentiâ Angelus allocutus fuerit Sanctissimam Virginem. Jam declarâsti mihi, quod dixerit illi *Ave MARIA*; verùm in quali corporis habitu- dine? An fecit id genuflexus? Non, respondit Viator, Siquidem, ultra quod nunquam videamus in aliquo scripturæ loco, locutos fuisse Angelos genuflexos hominibus; & quando etiam inter- dum fecissent, non decebat id facere Sanctum Gabrielem, edquod cum obicrit tunc munus Legati Omnipotentis Dei, custodire debuerit auctoritatem & Majestatem Domini, quem representabat; & quando id facere etiam voluisset, Sanctissima Virgo, quæ ipsum ceu talem agnoscerebat, non sustinisset ipsum prostratum ad pedes suos: locutus est igitur ipsa stans in pedes, totusque erectus: Illa etiam, utpote nunquam de- ferens profundæ suæ humilitatis abyssum, assurrexit ex reverentiâ coram Legato DEI.

Nihil

S. Berno-
dinus tom.
2. lerm. 11.
art. 2. c. 10.

S. Gabriel
non saluta-
vit Virgi-
nem genu-
flexus.

Quid t
neadur
imagin
tionibu
pictore
dum re
senten
stra m
ria.

Quid te
neadum de
imaginati-
onibus
pictorum,
dum repre-
sentent no-
stra myste-
ria.

Nihilominus hac ratione, inquit senex, hujus series facti nobis minimè exhibetur: semper enim depingitur Sanctissima Virgo, vel sedens, vel genibus innixa scabello, orans Deum; & Angelus velut juvenis, gestans in humeris alas, & reverenter se inclinans, vel genua flectens coram illà, ipsamque salutans. Respondedo ad hoc, inquit Viator, quòd pictura, sicut pœsis, assumat sibi sæpè libertatem, cujus auctoritati confidere volet nemo; nisi excusare quis voluerit mendacium, dicendo, id esse licentiam quandam pœticam; & hic ipse favor exhiberi posset picturæ, si quis excusare ipsam mallet, quàm condemnare: à parte rei tamen verisimile non est, Sanctissimam Virginem aut confedissee, aut genua flexisse coram hoc Legato cœli: Sedere non est situs, nec status, qui demonstrasset satis reverentiæ in humillimâ Virgine; genua flectere status est, qui venerationis ostendisset nimium ex parte exploratum haberet, non loqui se Deo. Verisimile adhuc minus est, ingressum esse Angelum Sanctissimæ Virginis conclave, indutum humeris alas: Cur enim id fecisset? an indignisset ipsis in morem avium? non indignuit ipsis, cum fuerit Spiritus: an augendo decori & pulchritudini? Quid vidisset unquam ejusmodi monstrum in naturâ? nihilominus receptum est,

videre sic Angelos depictos cum alis, eòquòd discerni aliàs non possent, nisi haberent illas.

Relinquamus ipsorum alas, reponit senex, si illis non indigeant, non sint nobis incommodo. Magis nôsse desidero, quid Sanctissima Virgo responderit huic cœlesti Legato. Ecce tibi, respondet Viator; videtur non indignuisse ipsam tantâ, tamque maturâ de liberatione ad responendum congruè circa negotium tanti momenti, Sanctus Augustinus alloquitur ipsam, Sanctus Bernardus, Sanctus Fulgentius, Sanctus Laurentius Justinianus, & plures alij Sancti Patres, inter quos audiamus mellissimum: Expectat Angelus responsum, tempus est enim, ut revertatur ad Deum, qui misit illum. Expectamus & nos, ô Domina, verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium salutis nostræ, statim liberabimur, si consentis. Hoc supplicat à te, ô pia Virgo, flebilis Adam cum miserâ sobole suâ exul de paradiso, hoc Abraham, hoc David, hoc cæteri flagitant Sancti Patres, Patres scilicet tui, qui & ipsi habitant in regione umbræ mortis. Hoc totus mundus tuis genibus provolutus expectat: ut respondeat Angelus tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique uni-

S. Augustinus serm. 1. de Nativ. Dom. S. Fulgentius serm. 18. de Sanctis. S. Laurentius Justinianus serm. de Annunt.

Apostrophe S. Bernardi ad Sanctissimam Virginem, quâ sollicitatur, ut respondeat Angelo homil. 4. super Misericordiam.

verio-

verforum Filiorum Adam, totius generis tui. Da Virgo responsum festinanter; ô Domina responde Verbum, quod terra, quod inferni, quod expectant & superi; ipse quoque omnium Rex ac Dominus, quantum concupivit decorem tuum, tantum desiderat & responsionis assensum, in quâ nimirum proposuit salvare mundum; & cui placuisti in silentio, jam magis placebis ex Verbo, cum ipse tibi clamet è cœlo: O pulcherrima inter mulieres, fac me audire vocem tuam. Si ergo tu eum facias audire vocem tuam, ipse te faciet videre salutem nostram. Nanquid non hoc est, quod quærebatur quod gemebas quod diebus ac noctibus orando suspirabas? Quid igitur! Tu es, cui hoc promissum est, an aliam expectamus? imò tu ipsa non alia: Tu inquam illa promissa, illa expectata, illa desiderata, ex quâ Sanctus Pater tuus Jacob jam morti appropinquans, vitam sperabat æternam, cum dicebat: Expectabo salutem tuam Domine. Gen. 49. In quâ denique & per quam Deus ipse Rex noster ante sæcula disposuit operari salutem in medio terræ. Quid ab alia speras, quod tibi offertur? quod per aliam expectas, quod per te mox exhibebitur dummodo præbeas assensum, respondeas verbum? responde itaque citius Angelo, imò per Angelum Domino; responde ver-

Gen. 49

bam & suscipe Verbum; propter tuum, & concipe divinum; emitte transitorium, & amplectere æternum. Quid tardas? quid trepidas? Crede, confitere & suscipe; sumat humilitas audaciam, verecundia fiduciam; nullatenus convenit nunc, ut Virginalis simplicitas obliviscatur prudentiam; in hac solâ te ne timeas Virgo prudens præsumptionem; quia effigra in silentio verecundia, magis tamen nunc in verbo pietas necessaria; aperi Virgo beata cor fidei, labia confessioni, viscera Creatori: Ecce desideratus cunctis gentibus foris pulsat ad ostium. O si te morante pertransierit, & rursus incipias dolens quærere, quem diligit anima tua? surge, curre, aperi surge per fidem, curre per devotionem, aperi per confessionem. Hucusque S. Bernardus.

Consolamini, Consolamini mihi seri mortales, expellite omnes vestros mœrores, abstergite lacrymas, exultate gaudiò corda dilatata vestra, canite ubivis Alleluja, volate præ lætinâ; dedit ipsa consensum suum, habebitis Salvatorem; habebitis Deum Hominem; eritis omnes consanguinei Dei, ipse erit frater vester, vos eritis sorte auspiciatissima ipsius filii, & tandem coheredes ipsius in regno cœlestis Patris sui, sicut & possessores propriæ ipsius gloriæ in æternitate; & hæc omnia comparavit vobis consensu suo Sanctissima Virgo, quem dedit.

Solatio
torius na-
ture hu-
mane ex
responsio
Sanctissimæ
Virginis,
dedit An-
gelo,

dedit, ut esset Mater Dei. Quid retribuemus tibi, ô Sanctissima Virgo, pro tot tantisque beneficiis, tot ac tantis nominibus, quibus tenemur tibi? Nonne minimum sit, quod facere possumus, tibi nos esse devotos: Sed devotissimos, sed absque intermissione, absque exceptione ullâ, & nunquam non tuo addictos servitio, ex toto corde nostro, ex totâ animâ nostrâ, & ex totis viribus nostris. Nonne vis illud! Nonne libenter tuum adjicis consensum, sicut illa adjecit suam? libentissimè, respondit senex.

Sed ignoro, prosequitur ipse, quâ ratione hunc dederit; informari circa hoc velle, ut conformem me ipsi quantum poterò. Ecce verba, reposuit Viator, quæ Sanctissima Virgo locuta est Angelo: Ecce ancilla Domini,

fiat mihi secundum Verbum tuum, prostratis in terram genibus, corde & oculis in cælum sublevis. O prodigium hujus responsi! ô potentiam horum verborum! ô altitudinem eorum, quæ complectuntur, mysterium! verum ubi sunt hæc prodigia? interrogat senex: Apparent hæc verba simplicissima & absque artificio; quæ ostendunt potentiam: Sunt humillima, ne ullâ pollant auctoritate; Et quæ comperies in illis mysteria? clara sunt & simpliciter insinuant, consensisse ipsam proposita ab Angelo quaestioni. Itane! nihil hic invenis dignum admiratione, respondit Viator? considera paulisper hoc responsum, & observabis in ipso tria, quæ maximo stupore defixas tenebant mentes, illius prodigia confutantes.

ARGUMENTUM.

Consideratio circa responsum, à Sanctissimâ Virgine datum Sancto Archangelo Gabrieli.

ARTICULUS IV.

Incrimis aspicit ipsa Angelam salutantem se nomine Dei, supremi totius orbis Monarchæ. Intellegit setentis sublimissimam honoribus, ut nominetur ab ipso gratiâ plena, id est, pulchritudine, sanctitate, tantisque perfectionibus, ut Deus veluti captus & illectus illis, quas in ipsâ

R. P. Janc. Consultat. Tom. III.

conspiciebat, excellentijs, ingredi voluerit castissimum ipsius uterum, eamque sibi eligere in Matrem, quæ maxima omnium est dignitas, quæ exornare possit Deus aliquam Creaturam; & è supremo tam sublimis dignitatis gradu, ipsa demittit se in profundissimam sui nihili abyssum, respondens

V u Ange,

Quid prodixerit humilitas in Sanctissima Virgine & superbia in Lucifero.

Angelo: *Ecce ancilla.* Angelus superbus primus esse voluit in domo Dei, similis Altissimo; & ipsius ambitio novissimum reddidit eum ex omnibus creaturis, Deoque dissimillimum. Sanctima Virgo e contra respondit Archangelo S. Gabrieli, se esse ancillam, id est, novissimam in domo; & ipsius humilitas fecit ipsam esse Matrem, id est, omnium primam & similem Altissimo, quem ipsamet formaverat ad sui similitudinem. Sanctus Bernardus illectus Sanctissimæ Virginis responso, quod è nihilo, unde egrediebatur, sustulit ipsam in momento usque ad omnia, quorum consignavit ipsi possessionem, ita more suo egregiè inquit: *Merito facta est novissima prima, qua cum prima esset omnium se novissimam fecit.*

S. Bernardus
serm. de
Verbis
Apost.

Siquidem quo tempore putas, quo temporis instanti credis, ipsam factam esse Matrem Dei? Sanctus Augustinus, Sanctus Joannes Damascenus, Abbas Rupertus, & plerique Sancti Patres pro certo tenent, id factum esse in momento, quo pronuntiavit hæc verba: *Ecce Ancilla Domini.* Ubi primùm egrediebantur ex ipsius ore, ascenderunt in cor Patris, & eodem omninò instanti absq; ullo intervallo, Verbum æternum descendit in uterum Virginis Sanctissimæ. Ecce in hoc momento potiùs, quàm in alio? eò quòd mirà quãdam ratione imitari in

Quã ratio-
ne conce-
perit Ver-
bum æter-
num, aspi-

hoc voluerit Deum Patrem, qui ^{ciendo pri-}
Filius suum Unigenitum produ- ^{sum ali-}
cit per contemplationem & cogni-
tionem perfectam suæ essentia, &
infinitatum perfectionum suarum.
Et viva hæc imago, quam sibi for-
mat ex eo, quod videt in ipso,
est, quod nos vocamus Verbum
ipsum, & Filium ipsius Unigeni-
tum. Et Sanctissima Virgo, dum
concipit & parit eundem hunc Fi-
lium Unigenitum Patris, imitatur
etiam Patris rationem & modum:
Contemplatur ipsa & cognoscit
perfectè non suum esse sicut Crea-
tor, sed suum nihilum, sicut crea-
tura; non infinitas suas excellen-
tias, velut Deus, sed infinitam di-
stantiam puri sui nihili naturalis:
Cognoscens hoc, concipit verita-
tem æternam; jam æterna veritas
est, Filius Unigenitus Dei. Ecce
quò deiciat & deprimat ipsam
profunda sua humilitas, clarè osten-
dens illi infinitam sui nihili abyf-
sum: Ecce etiam, quò attollat
ipsam simul, eò usque nimirum,
ut concipiat proprium Filium Dei,
fiatque ipsius Mater.

Ipsemet exponere nobis mirum
in modum voluit duplicem hanc
Nativitatem, tum è sinu Patris
sui in æternitate, tum ex utero
Matris suæ in tempore, duobus
verbis in Apocalypsi, dicens: *Ego* ^{Apost.}
sum primus & novissimus. Quan-
do dicit, *ego sum primus*, aspicias
ipsum nascentem è sinu Patris sui,
per cognitionem infinitarum sua-
rum

rum perfectionum : Et quando dicit ; *ego sum novissimus* , aspicias ipsum nascentem ex utero Matris suæ per infiniti sui nihili cognitionem. O admirabilem ! o incomprehensibilem ! an dicam , imitationem , vel æmulationem Patris & Matris ! Benè dixero utrumque. Ambo producunt eundem Filium Unigenitum per cognitionem sui ipsorum ecce imitationem. Sed Pater videt se esse omnia , & Mater videt se esse nihil : ecce æmulationem. Pater producit Filium , qui dicit : Ego sum primus ; & Mater eundem producit Filium , qui dicit : Ego sum novissimus , ecce imitationem. Sed Pater dat ipsi esse æternum , omnipotens immensum & independens ; & Mater dat ipsi esse corruptibile , infirmam & dependens , ecce æmulationem. Nihilominus æque magnus est Deus , dum egreditur ex utero Matris suæ totus annihilatus in profundâ humilitatis abyſſo , quàm dum concipitur in sinu Patris sui , totus refulgens infinitæ Majestatis suæ gloriâ. Ecce imitationem & æmulationem omninò simul ; & utramque invenies in verbis à Sanctissimâ Virgine datis Angelo pro responſo : *Eccæ Ancilla Domini.*

Quàm citò acquiratur perfectio per humilitatem. O si ingredi vellemus voluntate sincerâ , corde fideli , animo maturo , viam hanc tam brevem , tamque securam , quæ dirigeret

ad considerandum , ad amandum , & ad querendum verè nostrum nihilum , ut ibi nos abscondamus , ibique tranquilli commoremur , velut in cento nobis proprio ; quàm compendiosam amplecteremur semitam , quæ nos educens est molestissimarum difficultatum captivitate ! quàm subito liberaremur à plurimis impedimentis , inquietudinibus & obstaculis , quibus implicamur & affligimur ! o quàm citò vinceremus innocenti hoc stratagemate maximè nocivos salutis nostræ inimicos , à quibus constringimur velut mundi & in ordinatum nostrorum affectuum mancipia ! quàmque repente collocatos nos videremus pacatos & beatos in sinu Dei !!

An quidquam magis admirandum videri possit , quàm sublimis status unionis cum Deo , quem obtinuit hanc per viam Virgo Sanctissima ? ipsa repletur gratiâ , ipsa quiescit in sinu Dei , & Deus personaliter quiescit in castissimo ipsius utero , instanti , quo verè suum invenit & agnovit nihilum. Et nonne per hanc viam S. Joannes Baptista attigit statum adeò sublimem , ut ipsa veritas JESUS Christus declaraverit , majorem ipso non esse inter natos mulierum ? Absconderat ipse se in abstrusissimâ solitudine , ut annihilaretur quasi in æstimatione mundi ; nihilominus virtus ejus velut

V u 2 maxi-

Quàm mirra produxit humilitas in S. Joanne Baptista.

maximus refulſit ſol, ſolitudinis ipſius diſſipans umbras, ut red-deret ipſam non ſolum viſibilem, ſed admirabilem univerſæ Judææ nationi.

Judæi mittunt ad ipſum ſacerdotes & Levitas, interrogatum, an ipſe eſſet promiſſus à Prophe-tis, & ab univerſo Iſraëlis populo per tot ſæcula expectatus Meſſias; an eſſet deſideratus ille cunctis gentibus, velut Omnipotens Re-demptor mundi, id eſt, an eſſet ipſe Deus. Ecce quanti æſtimã-riat ipſum: Audite, quid respon-derit, & quã viã tantam aſſecu-tus fuerit perfectionem, ut cre-deretur eſſe Deus. Proponuntur ipſi plures quæſtiones & ad om-nes nonniſi unum idẽmq; ſemper reſpondit: *Non ſum*; id eſt, quòd aliud non ſit, niſi nihilum: Ipſe hoc loquitur, ſicut cogitat; eſt contentus cum eo, & aliud nil deſiderat; & per ſuum nihilum, ubi quievit in pace, eò aſcendit, ut tranſcenderet omnes maximus inter nates mulierum. Nonne hæc brevis quidem eſt via, ſed quæ animam valdè procul abducit, ſi illam ambulare vel poſſit, vel velit? Brevis eſt, quia nonniſi oculos aperire oportet ad cogno-ſcendum veritatem in eo, quid ſinus nihilominus valdè procul abducit animam, quia mox ipſam aſtori facit mundo, ut faciat ipſam vivere ſoli Deo.

Sed Eheu! Nemini eſt amicus

ambulandi per hanc viam: Quis eſt, qui libenter velit dicere: Non ſum? contentus ſum eſſe nihil; omnes volunt eſſe aliquid. Am-biſioſi in mundo plus eſſe volunt, quàm poſſint: Indefeſſè labo-rant, cælum terramque movent, ut id obtineant, quò magni ſiant. Qui magis modeſti ſunt, & vanita-ti ſæculi renuntiãſſe videntur, di-cere tamen adhuc nolunt: *Non ſum*. Non eſt, qui non velit eſſe aliquid, eſſe in æſtimatione, eſſe aliquo loco, eſſe in honore pe-nes mundum: Et inter illos ipſos, qui ex inſtituto navant operam acquirendi virtutes magis puras, & perfectionem magis eminen-tem, omnibùſque numeris abſo-lutam, difficulter invenias ali-quos, ubicunq; ipſos inquireas in abditiffimis etiam deſertis, qui verè dicere poſſint & velint: *Non ſum*. Nihil ſum, & nihil habere volo, nec honorem, nec bona, nec æſtimationem, nec dignita-tem, nec aliquid, niſi omnimo-dam exſpolutionem, univerſalem & perfectam omnium eorum, quæ Deus non ſunt, renuntiationem: *Non ſum*. Nihilum, contemptus, paupertas, ſumma abjectio, eſt omne id, quod aucupor, quod habere deſidero in hoc mundo: Huc qui pertigerit, liber mox erit ab innumeris anguſtijs, cruciatibus & tormentis; ſiquidem nil miſeros nos reddit niſi privatio eorum, quæ deſideramus: Sed quod

Quomodo
ſ. Joannes
exercuerit
humilita-
tem.

Quam fe-
lices eſſe-
mus, ſi ſe-
queremur
& Joannem
Baptiſtam
per viam,
quam ipſe
mox vult
incedere.

Pia
diſſi-
Virg
reſp
tis
com
eun
qu
nun
De
mu
ere

quod plus adhuc est, facili is viâ inducitur in possessionem ipsius Dei, si enim verè annihilaverit in corde suo omnes creaturas; & præcipuè, si annihilaverit semetipsum, residuum ipsi nihil est, nisi unicum ens summum, supremum ac necessarium, quod annihilari non potest; & hic est solus Deus.

Ecce secundam considerationem, quam fieri à nobis exoptarem circa responsum à Sanctissima Virgine datum Angelo: *Ecco ancilla Domini, fiat mihi secundùm Verbum tuum.* Verba hæc includunt duo, quæ videatur parùm compatibilia. Primum est, profunda humilitas, quæ non indicat nisi magnam quandam annihilationem, eòquod nihilum nec aliquid sit, nec aliquid possit: Alterum est, quod dixerit: *Fiat.* Verbum hoc in ore nostro aliud non significat, nec innuit, nisi votum quoddam, precationem & petitionem aliquam. Sed in ore Sanctissimæ Virginis videtur voluisse Deus, ut esset Verbum aliquod potestatis, imperij tantæque roboris, ut plures Sancti Patres illud *Fiat*, quod Omnipotens Creator mundi pronuntiavit, quando per suam potentiam omnes creaturas extraxit è sinu nihili in comparationem adducant cum hoc *Fiat*, quod Sanctissima Virgo pronuntiavit in mysterio Incarnationis, & inveniant, quod

hoc maioris videatur esse potentia ac roboris, quàm illud, eòquod effectus produxerit multò majores, magisque stupendos.

1. *Fiat* DEI non dedit esse nisi creaturis; *Fiat* Sanctissimæ Virginis dedit esse ipsi Deo, qui infinita ratione creaturis est nobilior. 2. *Fiat* Dei non extraxit suum opus, nisi è sinu nihili, origine nempè abjectissima, quæ esse possit; *Fiat* Sanctissimæ Virginis extraxit opus suum è sinu Dei, origine, quæ esse possit, nobilissimâ & sublimissimâ. 3. *Fiat* Dei, non extitit ipsi utile, nec adjunxit quidpiam ipsius magnitudini, nec infinitis ipsius perfectionibus; *Fiat* Sanctissimæ Virginis produxit in ipsâ effectus stupendos; siquidem illo vix pronuntiato, supremam obtinuit dignitatem Matris Dei, & locupletata est cunctis prerogativis tantæ congruis sublimitati. 4. *Fiat* Dei non confert ipsi imperium, nisi in res caducas, quæ respectu sui sunt nihil; *Fiat* Sanctissimæ Virginis confert ipsi imperium in Deum ipsum; siquidem pronuntiendo potens hoc Verbum facta est ipsius Mater, & ipsi factus est illius Filius, adeoque ipsi subditus, eòquod ipsa habuerit jus & potestatem eidem imperandi. Denique *Fiat* Dei nihil operatum est, nisi extra ipsum; *Fiat* Sanctissimæ Virginis operatum est penè in momento innuncera prodigia in ipsius Persona.

Fiat Virginis Sanctissimæ admirabile est in quinque rebus.

Fiat Sanctissimæ Virginis respondens Angelo, comparatur cum *Fiat*, quod pronuntiavit Deus in mundi creatione.

Operatur
prodigia in
suo ipse.

Siquidem in instanti, quo pronuntiavit illud, natura prorsus attonita suas vidit subverfas leges, sua violata jura, per privilegia, quæ admirabatur, & per miracula, quibus rapiebatur in stuporem. Virgo permanens Virgo concipit Filium in utero suo; sola omninò ipsius efformat Corpus è pluribus Sanguinis sui guttis; quamprimùm hoc organizatur, totùmque præparatur ad recipiendum animam; quamprimùm est animatur; quamprimùm hæc anima plena est sapientiâ, gratiâ, & pretiosissimis quibusque donis cœli; quamprimùm est beata per claram visionem Dei; quamprimùm hæc Anima & hoc Corpus uniuntur à Deo, & Sanctissima Virgo invenit se gravidam Viro. O Fiat admirabile! O Fiat incomprehensibile! O Fiat Omnipotens Virginis MARIE! an pronuntiatum sit unquam aliquod simile!

Fiat Sanctissimæ Virginis cadere facit Deum in extasim.

Divinus Ateopagita affirmat, quòd non solum tota natura fuerit id ipsum admirata; sed quòd dici possit, Deum ex eo ratione quâdam cecidisse in extasim. An nosti, quid sit extasis? Est abalienatio quædam mentis, nascens ex contemplatione cujusdam pulchritudinis illam oblectantis, quæ cum abripiat cor, illud colloceat extra statum suum naturalem. Quòd Sancti habeant extases contemplando pulchritudinem Dei! quòd ipsorum animas maneat suspensus

in profundâ quâdam admiratione, quæ non permittat ipsi libertatem, ut alteri intendat objecto, nisi illi, quod aspicit, quòdque admiratur; quòd cor eorum abalienatum sit quasi à seipso; quòd pleræque ipsius functiones naturales impediantur, eò quòd metiri non possit vires suas, nec se cohibere, quin omnem vim & virtutem suam impendat objecto, quo oblectatur, quo abripitur, quo velut ipsius mancipium constringitur; quòd ingentes hæc animi & cordis abreptiones, quas interdum patiuntur sancti, cadere ipsos faciant in extasim; hoc facile comprehenditur. Sed quòd Deus aliquam aspiciat pulchritudinem, quæ idonea sit abripere ipsum extra seipsum, quæ cadere ipsum faciat in extasim; hoc nec cogitari, nec dici ab aliquo potest, quin ex eo totus maneat attonitus, totus obstupefactus.

Nihilominus magnus Sanctus *Ateopagita* Dionysius exarare non timuit hæc verba in libro quarto de Nominibus Dei: Audemus & illud pro veritate dicere, quòd ipsemet Creator omnium extra se factus est. Nonne hoc est dicere, quòd ceciderit quodammodo in Extasim. Est propriè hæc loqui, dum dicitur, quòd ceciderit in Extasim; eò quòd Extasis Dei discrepet ab illâ Sanctorum. Ipse attolluntur supra statum suum naturalem, quando sunt in Extasi; sed Extasis Dei deprimit ipsum infra seipsum: Sicut enim

terra

terra, quæ infimum tenet in mundo locum, exire loco suo non potest, quocumque eat, nisi attollat se versus cælum, ita Deus, qui infinita quædam magnitudo est, exire à seipso non potest, nisi se deprimat & deorsum tendat.

Non quaeritur, quid tantæ sit virtutis, ut rapiat Sanctos in Extasim; constat enim, id facile esse Deo; Sed benè quaeretur, quidnam tantæ sit potentia, ut cadere faciat in Extasim Deum. Idem S. Dionysius affirmat nobis, portentosum hunc esse & possibilem non esse, nisi soli amor: pro-

Areopagita
ibidem.

pter amatoriam suæ bonitatis magnitudinem. Sed qualis hic est amor? Res admiranda! Non est amor propriæ suæ pulchritudinis; non enim est in extasi, eòquod amet pulchritudinem & bonitatem infinitam, quam videt in propriâ suâ essentiâ; non egreditur propterea extra se ipsum, sed potius ingrederetur intra seipsum. Est igitur contemplatio alicujus pulchritudinis, quam extra seipsum intuetur. Sed quænam est hæc pulchritudo tantis abundans delicijs, ut capere possit Deum extra se, per magnam amoris, quo in ipsam fertur, vehementiam, nisi illa Sanctissimæ Virginis Matris suæ? Gratia, quæ totam refertam videt ipsam, oblectat illum: profunda humilitas, in quâ annihilatam aspicit ipsam, allicit ipsius oculos, & lucratur ipsius cor; & verba, quæ

suo respondet Nuntio: *Fiat mihi secundum Verbum tuum*; abaliciente & abripiunt ipsum. O pulchritudo incomparabilis! o potentia admirabilis! o illecebras magis quam Omnipotentes divinæ Matris MARIE! Lucrata est ipsa Cor Dei, egredi fecit eum extra seipsum; secit cadere ipsum in extasim; attraxit eum è sinu Patris æterni in castissimum uterum suum. Quid dicendum de hoc prodigio! Nonne trahere hic debeat admiratio è cordibus nostris, ex ore nostro hæc Sancti Bernardi verba: *O amoris vim! quid violentius! Sic de Deo triumphet amor!*

Ubi estis vos, quibus nulla est devotio erga Sanctissimam Virginem? an dicetis adhuc, metuendum esse, ne excessus indiscretæ cujusdam devotionis vos abripiat, ut nimirum reverentiæ, nimum amoris exhibeatis illi, dum videtis, Deum eòusque honorare, eòusque amare ipsam, ut prolapsus fuerit in extasim, velut totus amore languidus in purissimum ipsius uterum? Quando per impossibile in ejusmodi prolaberetis excessum, an deceptorum indiscretorum accensendus fores numero? an metueres adhuc, ne abusus sit in devotione hæc tam ardenti ac fervidâ, quàm nonnulli fovent erga ipsam, ut nec loqui, nec cogitare quidem possint de ipsâ, quin totum emollitum, totum liquefactum sentiant cor suum. Videte,

vi-

videre admirandam tenacitatem cordis proprii Filij Dei erga ipsam, & abhorrete duritiam cordis vestri magis quam marmorei: Et tamen, quod magis crudele est, non con- tendi impietate vestra, velletis ad- huc eadem inficere mundum, re- prehendendo ipsius devotionem erga Sanctissimam Virginem. O infelices!

Videbam zelum ipsius facendi plurimum. Domine, inquebam ipsi, male tractando non lucrabe- ris ipsos: Ejusmodi homines non sectantur, sed potius magis indu- rantur, imò irritantur increpatione; malleam potius instruere ip- sos, si ignorantes sint: Difficile est veritatem non amari, quando cognoscitur: vel si malitiosi sint; satis mihi foret confundere ipsos, statuendo ipsis ob oculos prodigia, quæ acciderunt in utero Sanctissi- mæ Virginis in instanti, quo re- spondit Angelo, & ita declarare

illa, ut, si satis fidei non haberent, quæ illa crederent; nec satis reli- gionis, quæ illa adorarent, nec satis pietatis, quæ illa adamarent, saltem exponerentur confusioni coram judicio Dei, aspiciendo in- sensibilitatem suam absque ratione, & absque excusatione suam impie- tatem.

Relinquamus ipsos & intenda- mus nobis. Promisisti nobis tres considerationes circa responsum, quod Sanctissima Virgo dedit An- gelo: non nisi duas adhuc habe- mus; præstanda tibi est tertia, ut præstes promissa. Verum est, in- quit, absit, ut ipsam omitam, cum credam, ipsam omnium esse præcipuam. Ostendet vobis illa admiranda prorsus prodigia, quæ adimpleta fuere in purissimo ipsius utero in instanti, quo respondit Angelo. Vos judicium ferre de illis.

* * *

ARGUMENTUM.

Magna prodigia, quæ acciderunt in utero San- ctissimæ Virginis in instanti, quo dedit consensum suum, ut esset Mater Dei.

ARTICULUS V.

Deus Pater
communi-
cat divinam
suam fec-
unditatem
Sanctissimæ
Virgini.

Tangam solummodo tria pro- digia inter alia. Primum concernit divinam ipsius fecunditatem, id est, privilegium omnino singulare, quod contulit ei Pater æternus, non solum ipsi

dando Filium suum Unigenitum; sed ipsum fontem, unde ille pro- cedit. Sic Sancti Doctores de hæc re loquuntur, Sanctus Bonaven- tura, & Sanctus Bernardinus Se- nensis. Primus dicit post divinum

S. Boni-
vent. l. sent.
dist. 29.
S. Bernard.
tom. 2.
Arco-
form. 114.

Modus
ducent
lium in
Beatiss
Virgin
supera
ralis, a
re divi

Fecun-
tas di-

Arceopagitam & juxta Concilium undecimum Toletanum & illud Florentinum, quod Deus Pater sit fons, principium, origo & plenitudo totius divinitatis: *Pater habet fontalem plenitudinem.* Et alius dicit, quod Sanctissima Virgo non solum exin acceperit aliquem rivum, sed quod Pater illi dederit ipsammet fontem, è quo dimanet Filius ab æterno: *Beata Virgo ab ipso Patre æterno fontalem fecunditatem accepit:* Id est, quod ipsa produxerit eum, non per fecunditatem humanam & naturalem, sed per quandam fecunditatem verè divinam, ubi Pater æternus producit ipsum ex adorando sinu suo: quod stupendum aded est prodigium, ut omnes Sancti in æternum admiraturi sint illud, quid unquam sint comprehensuri: Sanctissima Virgo sola illud recepit, abs eo, quod cognoscat totum ejus valorem; & non nisi Deus solus est, qui perfectè exploratam habeat magnitudinem doni, quo ipsam affecit.

Si contulisset ipsi facultatem producendi unico solo die potentissimum Monarcham, coronatum, sedentem super thronum, totiusque mundi possidentem imperium, censeretur illud tam ingens prodigium, quale nunquam conspectum fuerit; Et nihilominus plus his omnibus contulit ipsi Deus absque comparatione. Si dedisset ipsi potestatem creandi u-

M. P. Isaac Consultat. Tom. III.

nico verbo novum mundum, majorem & pulchriorem illo, quem incolimus, majus adhuc id foret prodigium; nihilominus Deus concedit illi aliquid longè adhuc majus, dum realiter communicat ipsi divinam suam fecunditatem: Ecce enim plurima prodigia ab hac producta in ipsius utero. 1. Ipsa fit Mater ejusdem Dei, cujus ille est Pater, & non diversi alicujus vel similis, sed ejusdem omninò. 2. Ut hunc producat, aliud non agit, nisi quod unicum proferat verbum: *Fiat.* 3. Ipsa concipit & parit permanens semper Virgo. 4. Ipsa non contulit illi, nisi propriam suam substantiam, & hoc sufficit, ut ipsa sola producat Hominem Deum. 5. Ipsa acquirit jus necessarium ad possessionem Dei. 6. Denique ipsa plus facit in seipsa per divinam suam fecunditatem in unico momento, quo respondit Angelo, quàm omnes tres divinæ personæ possint facere per omnem æternitatem. O Matrem verè admirabilem! quanta Exantlata occultè sunt prodigia in te, incomprehensibilia nobis: Sed hæc omnia teneamus esse non nisi unicum.

Et ecce vobis secundum, quod Sanctissima Virgo plus facere potest de Deo, quàm Deus de seipso.

X x

ampli-

Modus producendi Filium in Beatissima Virgine fuit supernaturalis, ac verè divinus.

Fecunditas divina

amplitudine, & si ita licet loqui, tanto cum augmento, ut S. Bernardinus dicere non dubitet: *Plus potest facere Beata Virgo de Deo, quam Deus de seipso.* Hæc propositio profecto stupenda videtur, sed vera est. Et ut intelligatur, considera, quòd id omne, quòd Deus Pater producere potest per divinam suam fecunditatem, sit producere Deum sibi æqualem, sed Deum Creatorem: Et quando communicat divinam suam fecunditatem Sanctissimæ Virgini, ipsa producit nobis Deum Salvatorem; & hoc aliquid plus est, quàm Deus Creator, quia est Deus Homo: Deus Pater potest quidem ipsam producere è sinu suo velut Deum, sed producere illum non potest Deum Hominem; impossibile hoc est Patri, & possibile non est, nisi soli Matri. Verum igitur est, quid ipsa plus facere possit de Deo, quàm Deus de seipso.

Plus est
producere
Salvatorem
quàm pro-
ducere
Creatorem.

Sed cur inquis, esse plus, producere Deum Salvatorem, quàm producere Deum Creatorem? Rationes hujus sunt manifestæ. Inprimis, qui dicit Deum Salvatorem, dicit etiam Deum Creatorem, èd quòd Deus Salvator possideat divinitatem, possitque create tametsi indutus Humanitate: Sed qui dicit Deum Creatorem, non dicit Deum Salvatorem, èd quòd non habeat Sanctam Humanitatem, sine quâ Salvator esse non potest, eâ ratione, quâ talis esse voluit.

Plus igitur est producere Salvatorem, quàm producere Creatorem: Et consequenter verum est, quòd Sanctissima Virgo plus facere possit de Deo, quàm Deus de seipso. Quis est, qui percipiat hanc veritatem, quin admiretur & fateatur, prodigium id esse maximum?

Secundò est verum, quòd plus sit producere Deum Salvatorem, quàm Deum Creatorem. Siquidem in quo terminatur tota potentia Creatoris, nisi quòd producat creaturas è nihilo, illisque conferat esse quoddam naturale? Sed potentia Salvatoris ultra progreditur, dum extrahit animas immortales è profundo barathro peccati, ipsisque communicet esse quoddam supernaturale & divinum per gratiam sanctificantem, cujus minimus gradus majoris est pretij, quàm esse naturale totius universi. Verum igitur est, quòd esse Salvatorem plus sit, quàm esse Creatorem. Unus non producit nisi creaturas prodeuntes è nihilo, alter producit Deos prognatos è corde ipsius Dei, juxta idioma Scripturæ ita prædestinatos nuncupantis: *Ego dixi, Dij estis, & filij ex cæli omnes.*

Uterius Deus Creator non habet nisi unicum Filium, nec plures eorum habere potest; & Filius hic unicus habere non potest aliquem fratrem, èd quòd exhauriat totam fecunditatem Dei Patris sui, ita ut alium è proprio sinu suo producat.

Psal. 81. 7
6.

ducere non posset: Sed DEUS Salvator habere potest plures Filios & plures fratres; & eò prorsus nomine missus est à Patre suo in terras, & donatus Virgini Sanctissimæ, ut per illam magis & ulterius suam extenderet fecunditatem, quàm extendere possit in proprio sinu suo, juxta effectum S. Augustini dicentis: *Unicum ipsum, quem genuerat, misit in mundum, ut non esset unicus, sed fratres haberet adoptivos.* Ecce igitur evidentem adhuc probationem, quòd divina Mater plus facere possit de Deo, quàm DEUS de se ipso.

O miraculum! ò prodigium, quòd in stuporem raperet omnes animos, si benè consideraretur! Deus Pater donare mihi non potuit, nisi Deum Creatorem: Creator meus non fecit ex me nisi creaturam; & si ita mansissem, non vidissem unquam faciem Dei: *Nihil enim nasci profuit, nisi redimi profuisset;* sed Mater admirabilis per divinam suam fecunditatem, quam accepit à Patre, donat mihi Deum non solum Creatorem, sed etiam Salvatorem; Et hic est, qui mihi confert esse quoddam divinum, qui me adoptat in Filium Dei, qui mihi legitimum jus tribuit ad possessionem æternam hereditatis suæ; Tu mihi Pater celestis dedisti Creatorem, sine eo essem nihil, & idèò adorare te debeo, tibi famulari, te amare,

aliàs forem impius: Sed tu divina Mater dedisti mihi Salvatorem; absque illo in æternum forem damnatus, & per ipsum sperare possum bona infinita: Nonne ex hoc debeam honorare te, servire tibi, te diligere, tibi esse devotus? aliàs ingratus omninò forem, imò non tantum ingratus, sed iniquus & impius.

Tandem tertium prodigium omnibus adhuc magis stupendum, quodque magis attonitum reddit animum illud considerantem, est universalis demolitio & everfio, quæ fit ubique in momento, quo Sanctissima Virgo respondet Angelo, suumque præbet consensum. Omnes leges naturæ everse sunt, & leges gratiæ, quæ obtinuit imperium, innumera patraverunt miracula. Virgo est Mater, Deus est Homo, & Homo est Deus, æternus incipit esse, & Omnipotens infirmus est Infans; Verbum æternum non loquitur; omnes figuræ Veteris Testamenti evanescent in præsentia unius solius veritatis; sed infinita hæc Veritas, refulgens gloriâ, ecclipsata est in tenebris, & minus adhuc spectatur, quàm signatur; Ens entium videtur hic annihilatum; & ut dicam unico verbo, quòd nec dici nec concipi potest: Omnia facta sunt nihil, & nihil factum est omnia in utero Virginis Sanctissimæ. Dico ecce tibi hæc consummationem omnium profundissimorum

X x 2

Mystica

S. Augustinus Tract.
2. in Joan.

Efficax ratio, obstringens omnes ad devotionem erga Sanctissimam Virgineam.

Myfteriorum religionis: Dico ecce tibi hic executionem omnium maximorum confiliorum Dei: Dico ecce tibi hic tandem prodigium omnium prodigiorum gratiæ perentioſiſſimum.

Maguâ me percellis admiratione, interpellat ipſum bonus ſenex, dum ita te audio loquentem. Itane? omnia ſunt perdita, & ex hoc omnia eſſe video in univerſali perturbatione: Totum contrarium, reſpondit Viator, omnia ſalva ſunt, & omnia, quæ in perturbatione erant, redacta ſunt in ordinem optimum: oſtendam tibi hoc tam clarè, ut ex eò perfundendus ſis ſolatio; ſed cum auribus arriſe mentem; veritates enim hæc tam ſublimes ſunt, ut, quidquid feceris, vix illas capturus ſis dimidiâ ex parte; ne ſperes, te perfectè illas comprehenſurum, quamvis polleres intellectu, qui excelleret illum Angelorum.

Omnia incluſa ſunt in hæc ſolâ veritate, quæ ſi benè intelligeretur, deduceret nos etiam in cognitionem omnium cæterorum myſteriorum: Deus factus eſt Homo, & Homo factus eſt Deus: Et hoc adimpletum eſt in utero Sanctiſſimæ Virginis in momento, quo ipſa Angelo ſuum dedit conſenſum, ut eſſet Mater Dei. Novè hoc optimè, Domine, idque audi vi ſæpè ſæpius; ſed nunquam intellexi, quid idipſum ſignificet, nec unquam benè explicatum mi-

hi ſuit. Quando dicis, quòd Deus factus ſit Homo, & Homo factus ſit Deus; nōne unus mutatus eſt in alterum, ſicut dicitur, quòd ij, qui invenerunt lapidem Philoſophicum, mutare valeant plumbum in aurum? Non, reſpondit Viator, ſi per impoſſibile mutari Deus poſſet in aliud, deſtrueretur, & non foret amplius Deus; & ſi homo mutaretur in aliud, deſtrueretur, & non eſſet amplius homo: & tunc meritò dicere poſſes, quòd omnia eſſent perdita & horrendæ expoſita confuſioni. Verùm non ita intelligendum eſt.

Eſtne ergò, reponit ſenex, quòd ex Deo & ex homine commixtis, & ſimul confuſis, factum non ſit, niſi unicum Totum, quòd ſit Salvator noſter JESUS CHRISTUS; ſicut ſi aliquis Empiricus miſceret duos pretioſos liquores ſimul, ad conficiendum inde nonniſi unicam medicinam, ad reſtituendum nos ſanitati? An eadè ratione Deus commiſcuit naturam divinam cum naturâ humanâ in JESU CHRISTO, ut exinde componeret nobis Salvatorem, qui efficacè afferret remedium noſtræ infirmitatibus animæ? Non, reſpondit Viator, ſi per impoſſibile ita ſimul commiſcerentur natura Divina & natura humana, non eſſet amplius nec DEUS nec homo, ſed res quædam tertia, diverſa ab utròque; ſicut ſi miſceres album & nigrum ſimul, non eſſet

Duz Natu
ra, divia
& human
non com
miſceretur
in JESU
Chriſto.

De
mo
ſun
per
JES

Deus non
mutatur in
Hominem,
nec Homo
in Deum in
Myſterio
Incaruatio
nis.

esset amplius nec album nec nigrum, sed tertius quidam color: Hæresiarchæ Dioscorus & Eutyches effinxerunt sibi insulsam & exoticam hanc opinionem, quæ non solum adversatur fidei, sed etiam sanæ menti; hinc etiam condemnati sunt ab Ecclesiâ, quæ velut articulum fidei tenet, quod natura divina & natura humana in JESU CHRISTO unitæ sint, citra quod invicem misceantur, simulque confundantur.

An igitur est, concludit bonus hic Vir, ex lumine suo naturali, vel potius, naturali suâ cæcitate, quod Deus & Homo simul uniti inveniantur in utero Sanctissimæ Virginis, sicut duo fratres gemelli in ventre matris suæ, qui quamvis duæ personæ sint, valdè inæquales in dignitate, semper tamen unitissimi maneant, eoque sint nati ex eadem Matre, & eodem tempore. Non, reponit Viator; Fides nos docet, Deum & Hominem non esse duas personas, sed unam solam eandemque personam esse in JESU CHRISTO, quod ipsa ratio nobis sat clarè ostendit: siquidem si Deus & Homo essent duæ personæ in JESU CHRISTO, sicut somniavit Nestorius infamis hic Hæresiarcha, dici non posset cum veritate, quod Deus fuerit Homo, nec quod Homo fuerit Deus; sicut dicere non poteris de duobus fratribus gemellis, quod unus sit alter: Verùm si ponatur

nonnisi unica sola persona in JESU CHRISTO, in quâ strictissimè uniantur Natura divina & natura humana, abs eo tamen, quod simul confundantur, dici cum veritate potest, persona hæc est Deus, quia habet naturam divinam, & eadem hæc persona est Homo, quia habet humanam naturam. Affirmari igitur consequenter bene potest de hæc eadem personâ, quod sit Omnipotens, eoque sit Deus, quodque nonnisi hodie nascatur, eoque sit Homo; quod sit immortalis, eoque sit Deus æternus, quodque sit mortua in cruce pro nostrâ salute, eoque sit Homo mortalis.

Ita, interpellat senex, posito non esse nisi unam eandemque personam, quæ habeat duas hæc naturas simul, bene capio, ita loquendum fore; sed quomodo capiatur, quod duæ naturæ ita à se invicem diversæ, ubi sunt divina & humana, simul uniantur in unâ eademque personâ? Et si etiam à se invicem non forent ita diversæ, & forent omninò æquales, & prorsus similes, sicut Petrus & Joannes; quâ ratione fiat, ut duæ hæc naturæ non sint nisi una eademque persona? audi bene, conabor id tibi declarare, quamvis literatus non sis, nonnisi solo imbutus lumine naturali.

Ut id comprehendas, nôsse oportet, quod quidquid creatum est, dividetur in duas partes; vel

X x ;

enim

Fundamentum illius, quod vocatur communicatio idiomatum

Quomodo declarari possit simplicibus &

Deus & Homo non sunt duæ personæ in JESU CHRISTO.

Indoctrinis,
quid sit ac-
cidens &
Substantia.

enim sunt accidentia, vel sunt substantia. Accidens appellatur id omne, quod cadit sub sensu nostris, uti colores, lux, sonus, sapor, odor, frigus, calor, & universaliter, quidquid esse potest objectum unius nostrorum sensuum; omnia hæc vocantur accidentia. Substantia vocatur id, quod esse non potest objectum alicujus sensuum nostrorum corporaliū, eod quod absconditum illud sit sub accidentibus, sitque id, quod hæc sustentet. Jam duo hæc, accidens & substantia habent duos modos existendi valde diversos, imò etiam oppositos, per quos ab invicem distinguantur; proprium accidentibus est, inniti alteri, & existere non posse, nisi sustentetur à substantiâ. Proprium substantiæ est, sustentare semetipsam, quin indigeat aliquo fulcimento; ita ut, quando interrogatur, quid sit accidens respondeatur, esse aliquod ens, quod inhæreat & innitatur semper alteri subjecto se sustentanti, sine quo interiret: quid sit substantiâ? Esse aliquod ens? quod sustentet seipsum, quodque non indigeat alio se portante, ut conservetur: includuntur breviter hæc duæ existendi differentiæ duobus verbis, quæ desumere oportet è scholis, ut exigente necessitate usui esse possint; & sunt inhærentia & subsistentia: Verbum inhærentia declarat modum existendi accidentium; & verbum

subsistentia modum existendi indicat substantiarum.

Juxta cursum naturalem rerum, necesse est accidens semper inhære subjecto; similiter necesse est substantiam semper subsistere per semetipsam, & nunquam naturalis hic ordo interturbatus est, nisi per ingens quoddam miraculum Omnipotentiae Dei. Duo nobis sunt ingentia mysteria Religionis Christianæ, ubi ostendit Deus potentiam brachij sui, in magnis duobus, quæ operatur, miraculis, quæque plurimum inserviunt ad declarandum se invicem, quando inter se comparantur. Unum est respectu accidentium in Mysterio Eucharistiæ; alterum est respectu substantiæ in mysterio Incarnationis. In Eucharistiâ conspicitur continuum miraculum: Proprium est accidentibus, quod naturaliter existere non possint, nisi inhæreant alicui subjecto; & nihilominus accidentia panis, uti sunt albedo, sapor, figura, & omnia ea, quæ cadere possunt sub sensu nostris, permanent in Sanctissimâ Eucharistiâ, absque eo, quod alicui subjecto inhæreant: Siquidem substantia panis, quæ subjectum erat ipsa sustentans ante consecrationem, non est amplius, eod quod ex integro destructa sit per verba consecrationis: ex alterâ parte, substantia Corporis JESU CHRISTI, quæ succedit substantiæ panis, non est subjectum, cui inhære possint,

Duo My-
stera Incar-
nationis & E-
ucharistiæ
declarat
se invicem

To My-
stera Incar-
nationis & E-
ucharistiæ
declarat
se invicem

possint, edquod ibi sit modò quasi spiritali, & affici non possit accidentibus corporalibus, extensionem æqualem & localem habentibus. Ecce igitur illa absque subiecto ac fulcimento naturali, & absque hæc inhærentiâ ipsis juxta naturam suam tam propria; sicut & omnipotentiam Dei sustentantem illa in esse suo absque illo subiecto!

In mysterio
Incarnationis
substantia
humana
privata est
propria sua
subsistentiâ,
sed accipit
divinam.

Ad hæc videre est in Mysterio Incarnationis ingens quoddam & continuum miraculum. Licet enim proprium sit substantiæ, sustentare semetipsam, & habere naturalem hanc existendi rationem, quam appellamus subsistentiam: Nihilominus in hoc mysterio substantia humana permanet absque subsistentiâ suâ naturali, cumque Deus hæc ratione sustentet ipsam, operatur ingens quoddam, vel potius ingentia duo miracula: Per primùm avellens, ut ita loquar, Sanctissimæ Humanitati id, quod ipsi maximè naturale est, ipsamque impediens, ne habeat id, quod habuisset necessariò, exspoliat illam virtute Omnipotentis brachij sui, subsistentiâ suâ humanâ. Et per secundum miraculum locupletat naturam humanam subsistentiâ divinâ. An bene capis, quid tibi dicere velim? ut id capias, considera, quòd Deus sit substantiâ infinita ratione perfecta, habens subsistentiam suam naturalem propriam & divinam; & ea-

dem ipsius substantia tres habet subsistentias, quæ sunt tres personæ divinæ, Pater, Filius & Spiritus Sanctus: Erat in potestate Dei, Sanctissimæ Humanitati, quam naturali suâ privabat subsistentiâ, conferte illam trium personarum divinarum, quæcûnque voluisset, id est, illam vel Patris, vel Filii, vel Spiritus Sancti. Sed divina ipsius sapientia decrevit illi dare subsistentiam secundæ Personæ divinæ, quæ est Filius, ob rationes ipsi soli perfectissimè cognitæ, quamvis illarum nos aliquas attulerimus in Consultationibus de excellentijs JESU Christi, Dei-Hominis.

Cum igitur substantia Sanctissimæ Humanitatis JESU Christi non habeat subsistentiam suam humanam, non est humana quædam Persona; cum subsistentia vel hypostasis, quæ faciat Personam, sicut videmus in divinitate, ubi adoramus tres Personas; illam Patris, qui est Deus; illam Filij, qui est idem Deus; illam Spiritus Sancti, qui pariter est idem Deus: Edquod hæc tres sint subsistentiæ, quamvis non nisi unica sola sit substantia, & unica sola divinitas, hinc dicimus: *Credo in unum Deum in tribus Personis.*

O quàm stupenda sunt hæc omnia, inquit desuper bonus noster senex, sed nimis alta hæc sunt pro tenuitate intellectus mei: *Ausculda me, quæso paulisper, ut videas*

JESUS
CHRISTUS
non est per-
sona huma-
na, sed est
persona di-
vina.

videas, an comprehenderim aliquid ex omnibus ijs, quæ dixisti mihi: Nónne in Mysteſio Incarnationis agnoscere oportet, non nisi unum solum JESUM Christum, qui sit verus Deus, & verus Homo, in quo duæ naturæ, divina & Humana uniantur, sed non commisceantur, nec confundantur simul; aliàs non esset amplius, nec verus Deus, nec verus Homo; sed tertia quædam res diversa: optime dicis, respondit Viator.


Nónne etiam non nisi unica sola est persona in JESU Christo, quam appellas substantiam, quàmque alias nuncupari audivi hypostasin ab alijs (qui mihi dixerunt, esse idem, quod substantia est vel persona) Nónne dicis, non esse Personam humanam in JESU Christo, sed quòd sola persona divina Filij Dei, cum subsistere faciat omninò simul duas naturas, divinam & Humanam, non faciat ex ijs, nisi unam eandemque personam, quæ eodem tempore circumferat in se omnes excellentias Dei, & omnes miseras humanas.

Supposito, quòd duæ Personæ essent in JESU Christi. Optime refers, confirmat denuò Viator.

Sed, Domine, supposito, quòd duæ Personæ essent in JESU Christo, una divina, & altera humana, quænam ex duabus esset Sal-

vator noster? Nulla ex duabus, respondet, Salvator esse possit, Persona divina esse non possit, eòquòd, cum sit Deus Omnipotens & immortalis, nec pati possit nec mereri pro nobis: Persona humana esse non possit, eòquòd, licet pati possit & mereri, non possit mereri satis. Quare non, interrogat bonus hic vir? quia opus erat merito infinito, respondit Viator, ad satisfaciendum in toto rigore infinitæ Justitiæ Dei, pro peccatis hominum; quæ mala sunt infinita. Jam nulla persona humana capax est meriti infiniti; requirebatur igitur unica sola Persona, quæ esset Deus & Homo simul, quæque consequenter pati possit & mereri, velut Homo, quæque daret huic merito valorem & dignitatem infinitam velut Deus.

Ecce summè satisfactum est mihi, circa hoc punctum; respondit senex; sed alia interroganda mihi adhuc restant. Bonus hic vir exoptasset, ut Charitativus noster Ductor & Comes semper prosequeretur discursum, sed quia adverti ipsum loquendo jamjam defatigatum, verba facere incepti ut facerem satis seniculo nostro discipulo circa ea, quæ nôsse desiderabat, & locutus sum ipsi, ut sequitur.



ARGU-

ARGUMENTUM.

Quomodo fieri potuerit incomprehensibilis hac unio
omnis & nihili in Personâ JESU Christi.

ARTICULUS VI.

Magnum prodigium est omnipotentia Dei, quod unierit omne & nihil in personâ JESU Christi.

NE speres obtenturum te perfectam cognitionem omnium sublimium & profundorum mysteriorum, quæ in se complectitur sola Persona JESU Christi. Quis comprehendere posset vel explanare admirabilem unionem, quæ facta est inter exilitatem Sanctissimæ Humanitatis, inclusæ in utero Matris Virginis, & inter immensam magnitudinem Verbi æterni? cum hæc duo sint termini infinito intervallo à se invicem distantes, eâ ratione, quâ omne distat à nihilo quis capere possit, quomodo inter se uniantur? est hoc opus brachij Omnipotentis Dei, infinitum postulans robur, ad conjungendum invicem tam arctè illa, ut ambo uniantur in eadem Personâ, & uniantur modo tam incomprehensibili, ut nihil sit in uno, quod non perfectè uniatum cum omni eo, quod est in altero.

Fecit mihi magna, qui potens est, Luc. 1.

Comparatio luculenta ad declarandam magnitudinem prodigij.

Qui monstraret tibi, ingentem montem, & centum stadijs ab hinc parvum granum arenæ, tibi que diceret: Uniam montem hunc & illud arenæ granum tam arctè inter se, ut nihil sit in toto monte, quod non tangat totum arenæ

R. P. Isaac Consultat. Tom. III.

granum, quodque inclusum non sit in illo, ita quidem, ut ipse vel minimum propterea non perdat ex suâ magnitudine: Et etiam volo, ut nihil sit in parvo arenæ grano, quod non tangat totum montem, quodque non intimè uniatum cum omni eo, quod ipse est, quin tamen hoc idcirco aliquid perdat ex suâ parvitate. Quid diceres? an judicares id fieri posse? &posito, quod videres id factum, an cessare posses, quin admirareris potentiam & sapientiam ejus, qui conficere potuisset tam ingens prodigium? si ulterius tibi diceret, est aliquid, quod magis adhuc stupendum tibi videbitur. Noveris, quod parvum hoc arenæ granum & decumanus hic mons, non misceantur nec confundantur invicem, sed quodvis ipsorum semper conservet totum suum esse distinctum ab esse alterius, quamvis tam arctè inter se uniantur, ut mons sit arenæ granum, & granum arenæ sit mons: Quis super tuum percelleret animum? Nonne videretur tibi prorsus in comprehensibile?

Et nihilominus, quid totum
Yy hoc

hoc sit respectu ejus, quod Omnipotens Dei brachium operatur in personâ JESU Christi. Divinitas est mons tam sublimis, ut immensus sit in suâ magnitudine, ita ut ipsemet Deus videre non possit ipse vel terminum vel circumferentiam, eòquòd nec hanc nec illum habeat. Humanitas e contra est velut arenæ granum, vel minimus pulvisculus: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Metire, si vellis, distantiam, quæ est inter utramque, invenies hanc esse infinitam; & nihilominus Omnipotentia Dei illas tam arctè conjunxit, divina ipsius sapientia illas tam intimè univit, infinita ipsius bonitas nodo tam stricto ipsas simul illigavit, ut ambæ non sint, nisi una eadèmq; Persona.

Magis adhuc stupendum est, quòd, licet divinitas infinita ratione sit magna, & humanitas infinita quasi ratione parva; nihil sit in divinitate, quòd non intimè sit unitum Humanitati, quòdque inclusum in ipsâ non sit secundum totam suam plenitudinem, uti Magnus Apostolus manifestis verbis nos docet? *In quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter;* quòd minùs idcirco ex suâ magnitudine deperdat vel minimum, Et similiter nihil est in Humanitate, quòd non attingat totam Divinitatem, eòquòd intimè cum illâ totâ & integrâ uniat, quin propterea evadat ma-

ior in esse suo proprio, in essentiâ suâ. An capis hoc prodigium, quòd omnes in cælo Angelos æternâ admiratione tenet defixos, eòquòd comprehendere illud non possint. O potentia admiranda magni Dei, quem adoro, quæ potuisti! ô sapientia infinita Dei mei, quæ novisti! ô Bonitas ineffabilis, quæ ex summo erga me amore sic unire voluisti immensam magnitudinem Divinitatis tuæ, cum summâ humanitatis meæ exilitate! Itane eòusque amas me, ut non solum similem te reddas mihi, sed eandem mecum rem secundum naturam; Siquidem tu es homo, & ego sum, homo, ejusdem sicut tu naturæ. O infinita dignitas hominis! qui bene agnosceret te, an vivere unquam posset bestiarum more? ô benignitas! ô ineffabilis erga hominem Dei bonitas! qui attentè consideraret te, nonne cor suum dies noctesque succendi vellet & consumi flammis amoris divini?

Ausculta adhuc aliquid, quòd cætera omnia prodigia transcendit. Hæ duæ res tam longè à se invicem ex conditione suâ naturali distantes, divinitas inquam & Humilitas, tamque propè sibi invicem conjunctæ, tamque arctè per stupendum gratiæ miraculum inter se unitæ, non miscentur, nec confunduntur inter se invicem, quælibet ipsarum retinet id omne, quòd sibi est proprium:

Divi-

Abundantia bonitatis Dei in hoc mysterio vehementer excitat cor ad ipsam amandam.

Goloff. 2.
v. 9.

pende
veritates,
que attoni-
tam red-
duat
mentem, si
bene confi-
derantur.

Divinitas retinet omnes suas excellentias, & Humanitas retinet omnes suas infirmitates; & nihilominus qualibet confert alteri id omne, quod habet, ita ut fiat quasi ipsi proprium, & verum sit dicere de uno, quod dicitur de altero. Dicitur liberè, quia dicitur verè: Deus est infirmus, & Homo est Omnipotens; Deus est natus in medio temporum in vili stabulo, & Homo nascitur ab aeterno in medijs splendoribus Sanctorum, in utero Patris: Deus patitur, Deus moritur in cruce supra montem Calvarie, morte pœnosâ & probrosâ, & homo est impassibilis, aternus, immortalis; & nullum malum appropinquare potest tabernaculo Majestatis ipsius: Deus esurit, Deus sitit, Deus manducat alimenta terræ; & Homo est principium vitæ, est ipse proprium suam alimentum, & est ille, qui aperiens manû suam dat escam abundanter omnibus creaturis, & implet omne animal benedictione.

Nec omnes
Angeli in
cælo, nec
omnes ho-
mines in
terris, com-
prehenderent
aliquid ex
illis absque
fide vel
lumine
gloriæ.

O Deus! quale idioma est hoc? & quid dicent omnes tum Angeli, tum homines, si audirent hæc verba, & nescitent profunda Mysterij Incarnationis arcana? quomodo audire possent absque horrore, quod Deus sit infirmus quod nascatur in stabulo, quod moriatur in cruce, quod sit agnus, quod patiatur sarnem & stinum, si ignorarent hunc Deum, de quo loquor, esse Hominem, & in Humanitate

suâ, & non in suâ divinitate pati hæc omnia? & quomodo tolerare possem, si mihi dicitur, quod homo sit omnipotens, aternus, impassibilis, immortalis, & inexhaustus fons vitæ, omniumque bonorum, nisi scirem, hunc hominem, de quo hæc audio, esse Deum, & in divinitate suâ, & non in suâ Humanitate has omnes possidere excellentias? porrigere veritates nostras Christianas sapientissimis quibus in mundo viris examinandas; sint ipsorum milia, sint decies milleni acutissimo præstantes ingenio, & omni scientiarum humanarum exculti disciplinâ, sed qui nullo imbuti sint fidei lumine, tam procul abest, ut quidquam ex illis sint comprehensuri, ut inde potius sint offendendi & non mediocriter scandalizandi: Dum interim tu, qui non nisi simplicem agis hominem, ut qui nunquam frequentaveris scholas, non nisi solo illustratus fidei lumine, comprehendes & capies tam abundè illas, ut non solû ex illis non sis offendendus sed oblectandus mirificè, & summo perfundendus gaudio: Et si sapientes hi præbere se vellent dociles ad recipiendam fidem, quam proponere ipsis posses, quamvis non posses hanc illis conferre (cum Dei solius sit conferre illam) evaderent ipsi discipuli tui, tyrones tui, & tu fores ipsorum Magister, edocurus ipsos tam sublimes veritates

res, eòsque illa omnia, quæ suis ipsi studijs addiscere potuerunt, transcendent, ut fassuri libenter essent, quod absque tuo auxilio, mysteriorum horum profunditatem assequi nunquam potuissent.

Quid actum fuerit in animo boni hujus senis, dum explanabam ipsi hæc omnia, quæ maximâ auscultabat cum attentione, planè nescio, eòquod obmutuerit, immobilis manens, & quasi totus stupefactus & attonitus: Et ego, qui judicabam ipsum magnâ cum difficultate portare molem tot magnarum veritatum; quas sapientissimi quique minùs comprehendant, quam admirentur, conabar imminuere ipsius difficultatem, proponendo ipsi aliqua evidentia exempla, quæ facilitate aliquâ ratione ipsi poterant intelligentiam hujus, quod difficilimum erit in hoc mysterio.

Difficiliter comprehendis, dicebam ipsi, quod infinita magnitudo Dei sese unièrit cum exilitate & parvitate Humanitatis nostræ, quodque hic etiam tota sit inclusa abs eo, quod quiquam amittat magnitudinis suæ. Nonne simile quid cernis in rebus etiam naturalibus? Aspice eodem tempore noctis admodùm serenæ, & videbis illud totum refertum stellis collucentibus sæcularum more; videbitur id tibi tantæ amplitudinis, ut integra terra non sit nisi parva quædam moles suspen-

Exemplum manifestum, quod juvare potest ad credendum mysterium nostræ fidei circa argumentum Incar-

sa, in magnorum horum spatio. nationis Verbi æterni.
rum medio; corpus tuum majus non erit sabuli grano in medio totius terræ, & oculi tui non erunt nisi velut duo parvi atomi; nihilominus mediætas cæli cum omnibus suis astis, quorum nonnulla centies majora sunt universâ terrâ, collocabit se totam integram in parvâ oculorum tuorum pupillâ, quin aliquid suæ deperdat magnitudinis, vel oculi tui aliquam sentiant plenitudinem sese incommodantem: Oportet totam hanc cælorum magnitudinem tuo uniri oculo, illique includi, eòquod videas ipsam. Hoc prodigium naturæ, quod tam perfecte unire novit rem maximam cum minimâ, ne tamen imminueret unam, & majorem redderet alteram, deducit paulisper in cognitionem, quâ ratione infinita magnitudo divinitatis perfectissimè se unièrit cum parvitate nostræ Humanitatis in Personâ JESU Christi.

Si vel leviter imbutus es Philosophiâ, dicere mihi posses, nec esse corpus, nec substantiam cæli, quæ se ita arctatam collocet in oculorum meorum pupillam, sed solum esse aliquam speciem, vel imaginem quandam subtilissimam illa representantem; & diceres verum: Sed similiter responderem tibi, quod, si Deus includere potest vastissimam cælorum amplitudinem in parvâ oculorum nostrorum pupillâ, mediante par-

Æquum est credere, Deum facere posse, quæ nos non possumus comprehendere.

vā specie illas representante, includere etiam possit totam immensam divinitatis suæ magnitudinem in parvo spatio Sanctissimæ Humanitatis; eodquod nihil impossibile sit Deo, uti asserit Angelus Sanctissimæ Virgini circa argumentum Mysterij Incarnationis; *Quia non erit impossibile apud Deum omne Verbum.* Nonne æquum omnino sit, concedere, quod Omnipotentia Dei infinita operari possit portenta, quæ nostrum excedant captum? Eheu! si ipsius Omnipotentia non patet latius exilitate nostri intellectus, non magnum quid foret.

Luc. 1. v.
37.

Consideratio pia nobis facienda.

Id difficultatem mihi non parit, falsus est ingenuè; eodquod credendum sit velut articulus fidei, quod Deus includat totam Sanctissimam Humanitatem suam in Sanctissimo Sacramento, sub minima particulâ Hostiæ; plus ergo difficultatis non patior, credendo, quod totam suam divinitatem includat in Sanctissimâ Humanitate in Mysterio Incarnationis; omnes veritates, quas edocet nos Ecclesia, ostendunt mihi tantam bonitatem in Deo, ut difficultatem non habeam illas credendi: Sed experior afflictum cor meum, & oppertam dolore animam meam, quod videam, fecisse Deum tanta pro me, meque facere nihil pro ipso; Ingens est dolor mihi, quod videam, ipsum tanto honore affectisse me, ut esse

voluerit & mihi similis, & frater meus in naturâ humanâ; & ita ego me ipsum vilificem, ut non abhorream vitam agere brutalem, & bestiarum in morem: Dolor meus est, quod aspiciam, ipsum tanto erga me ferri amore, meque tam exiguum referre ipsi: Ecce quid meam affligat animam, quid ræore ac fastidio oppimat cor meum. Siquidem, ex eo, quod non tanto polleam ingenio, non tantâ excultus sim scientiâ, ut bene comprehendam omnem magnitudinem mysteriorum Religionis nostræ, non mea me arguit conscientia; & spero, me propterea non condemnandum fore à Deo.

Sed quando considero, quod, quamvis rudis sim ingenio, æque tamen cor habeam ac sapientissimus quisque in mundo, quodque possem amare tantum ac ipse, & magis ipso, si vellem; quodque tandem Deus non aliud præcipiat mihi, in magno legis suæ mandato, quod complectitur cætera omnia, nisi ut amem ipsum ex toto corde meo: Interrogo me ipsum, cur igitur non adimplem illud? an ideo, quod Deus tuo dignus amore non sit, tuque hunc impertiri velis cuiquam alteri, qui magis dignus sit illo? an ideo, quod satis efficacia ipsum amandi non habeas incitamenta, in tot ac tantis, quos tibi exhibuit, infiniti amoris excessibus? An quisquam

Efficacia motiva, quæ urget nos debent ad amandum Deum.

Y y 3

quam est, quem amaverit magis, quique magis te sit illi obstrictus: Responde mihi ad hæc. Posito etiam, quod nihil fecerit pro te, promissiones, quas tibi facit, si ipsum amate, si ipsi servire velis; bona infinita, quæ comparavit pretio sui sanguinis, quæ tuis consignat manibus, quorumque semper tibi fontes servat apertos, non extiment te ad ipsum amandum? an quenquam invenias, qui tantum amat amorem? Quid habes, quod respondeas mihi?

Confiderandum bene, quid fecerit Deus pro nobis in incarnatione sua.

Ulterius progredior, & dico intra me ipsum: quando Deus meus nunquam fecisset aliquid pro me, quando nihil ab ipso sperandum haberem in æternitate; aspicere ipsum solum in statu, quod redactus est amore mei, nonne sufficiat ad emolliendum duriciam cordis obstinatissimi? Novi, ipsum esse Deum Omnipotentem, qui aspiat terram, & faciat eam tremere, qui tangat montes, & faciat fumigare illos ex igne, quem in ipsorum accendit visceribus: Novi ipsum esse infinitam planè Majestatem, coram quâ Angeli celorum se annihilent ex reverentiâ, ex timore, ex obedientiâ; & video, quod deposito omni Majestatis suæ splendore, induerit se carne meâ, cunctisque miseriarum carum humanarum centonibus, ut se in omnibus redderet mihi similem. Video, quod abscondens terribilem æternitatis suæ magnitudinem,

factus sit parvus Infans, cui non sit nisi suavitas & mansuetudo, qui aliam non valeat inferre vim, nisi extendendo parva sua braciola, & blandiendo omnibus se convenientibus. Video, quod donec semih in hoc statu, quod non contentus esse in manibus meis, supra cor meum, & in ore meo, velit ingredi usque in pectus meum, quod indaget & quarat regionem cordis mei, ut propius conjungat se illi, magisque luculenter ostendat ipsi amorem suum: Loquor ipsi in hoc statu, & ut emolliam duriciam cordis mei, interrogo ipsum.

Quis redegit te in pauperem hunc statum, ô Supreme Monarcha rerum omnium: Quis te ita exspoliavit, depressit, debilitavit, & propemodum annihilavit? O Omnipotens Creator mundi! quis igitur ita te totum immutavit in dulcorem, in teneritudinem, in bonitatem erga me? attribuere id alteri non possum, nisi maximi amoris, quo prosequeris me, abundantiz: Video illum, tango illum, experior illum, dubitare de eo non possum. Quando igitur hæc omnia propono miserabili cordi meo, dumque video, non emollii ipsum, non liquefieri in magno hoc igne, ac si durius esset ære; exprobro ipsi abominandam ingratitude suam, cujus & nullam afferre mihi potest excusationem: Quocunque me verto, effuge:

Omnino inexcusabiles sumus nisi amemus Deum ex toto corde nostro.

Art
est o
gere
quod
ut au

fugere nequeo; cumque tam ve-
cordem mihi indulgere non possim
ingratitude, patior tormentum,
quod affligit me usque ad mortem.

Admirabar plenus tamen sola-
rio, aspiciens tam eximios affectus
in vitro simplice, quos tantò minus
suspectos habebam, quòd explo-
ratum esset, ipsum nullo usum

dolo, sed locutum nobis fuisse ex
abundantiâ cordis sui: Hinc ma-
gno exarsi desiderio mitigandi do-
lorem ipsius, proponendo ipsi ta-
lia, quæ augere poterant ipsius a-
morem ex aspectu magni hujus my-
sterij: Et idcirco dicebam ipsi, ut

sequitur.

* * *

ARGUMENTUM.

*Quantum teneamur amare Deum, qui factus
est quòd sumus, ut essemus, quòd ipse est.*

ARTICULUS VII.

Ars artium
est obstrin-
gere ali-
quod cor,
ut amet.

Axioma est, & verum est,
quòd ars sit artium nôsse
moderari & gubernare ani-
mas: Nobiles hæc nostrum ipso-
rum partes tam studiosè sectantur
privilegium libertatis suæ, ut, cum
credant se natas esse ad vivendum
absque ullâ submissione, quodque,
si amplecterentur aliam vivendi ra-
tionem, injuriam inferrent tum
nobilitati stirpis suæ, tum suis pos-
sessori privilegij, prætendant ha-
bere jus, contra quòd præscribi
non possit, non solum subtrahen-
do se omni obedientiæ, sed etiam
non submitendo se, nisi propriæ
suæ gubernationi, moderationi ac
regimini. Quamvis approbem
axioma hoc velut consentaneum
veritati, nihilominus potius dice-
rem, quòd ars sit artium lucrari &
seducere posse animas, illisque per-
suadere, ut ament illud, quòd

non amant. Quam magis eviden-
tem vellemus huius veritatis proba-
tionem, quàm videre, quòd De-
us, qui Omnipotentiam, Sapien-
tiam, & bonitatem infinitam suis
constringit manibus, illasque im-
pendit, ad lucrandum nostras ani-
mas, obstringendumque illas, ut
se ament; quodque tamen non
obteneat exoptatum consiliorum
suorum eventum. Quid enim ad
hunc assequendum non facit?

Tria sunt, quæ creduntur esse
idonea ad conciliandam, foven-
dam & perficiendam amicitiam in-
ter duas personas, similitudinem,
familiaritatem & beneficia. Simi-
litudo conciliat ipsam, ipsamque
facit primò nasci; duæ res similes
sunt propemodum res eadem, &
quantò magis sunt similes, tantò
sunt magis & eadem res. Familia-
ritas illam fovet, illamque ample-
cti

Tria effica-
cia media,
quæ Deus
adhibet, ut
amari se fa-
ciat ab ho-
minibus in
Mysterio
Incarnatio-
nis.

Et si facit commercium reciprocum colloquiorum, cogitationum, affectuum, confidentiæ, arcanorum, quod quasi est duo corda convertere in unum, unumque effundere in aliud: Et tandem beneficia ipsam perficiant; hæc sunt argumentum magis proprium, magisque certum amicitiae; cum verum sit, quod amare propriè non fit aliud, quam bonum velle; & ideo antiqui dicebant, illum, qui invenit dona ac munera, catenas invenisse fortissimas ad illigandum & mancipandum corda. Jam considera, neminem unquam fuisse, qui tam efficaciter tria hæc adhibuerit media, sicut adhibuit illa **JESUS CHRISTUS** in mysterio Incarnationis, ad lucrandum nostra corda, obstringendumque illa, ut se amarent.

In primis, si requiritur similitudo, ut aliquis sibi conciliet amorem, vide, an infinita hæc Majestas, quæ communè nihil habebat nobiscum, volens sibi conciliare amorem hominum, non demiserit se eodisque ut redderet se similem illis; Non satis dico, dum solum dico, sim lem; dicendum est, quod ad lucrandum cor hominis verè voluerit esse homo: hoc longè plus est, quando est aliquis verè & substantialiter res eadem.

O omnipotens Monarcha mundi, in quas te angustias adducis ad inducendum me, ut amem te? Esse velle, quod ego sum, obregere te

Dens factus est similis mihi, ut me obstringat ad se amandū,

pellè meâ, assumere carnem meam, ossa mea, sanguinem meum, teque ita obvolvere omnibus miseris meis, ut nihil apparere sinas ex eo, quod ab æterno es; ita, ut hæc mea tectus veste credi possis, te esse me ipsum; siquidem tu homo es, & ego homo sum, ejusdem naturæ, & ejusdem conditionis mortalis. Quid dicere possent omnes Angeli in caelo, & etiam omnes Filij Adæ, videntes infinitam Majestatem tuam, in tam pauperem & apparatus & statum redactam?

Aliàs, Domine, illudebas mihi, probrosè expellens me è paradiso terrestri, post peccatum protoparentis mei: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*: Ecce hunc hominem, qui assimilati prætendebat Deo. Permite ergo nunc mihi d cere cum veritate, non illudendo, sed jubilando, tibi que infinitas rependendo grates: *Ecce Deus quasi unus ex nobis factus est*: Ecce igitur Deus Omnipotens, quem adoro, totus similis factus est mihi; ipse homo est ejusdem naturæ mecum, & ego homo sum ejusdem cum ipso naturæ: agere cum ipso possum confidenter & familiariter velut cum fratre meo; eod quod ipse amplexus sit statum humaniter & familiariter agendi mecum velut cum fratre suo. O bonitas supra omnem bonitatem! bonitas infinita! bonitas incomprehensibilis! an videri hoc possit, quin

Deus m
jori nos
nitate
pit, qua
Asservu
Mithere
Regina

quæ mentem emolliat? an serio & paulisper maturè considerati id, quod facis, ad obtinendum, ut amaris à nobis; & habere cor ita durum, ut non concipiat nec affectum nec amorem erga te?

Deo majori nos bonitate accipit, quam Assverus, Bithyrem Regiam.

Ecce igitur descendentem te de splendido gloriae tuae throno! O magne Rex colorum! Et ecce te depressum usque in terram, ut assumes misellam meam Humanitatem, debilem & languentem inter brachia tua, ut conserves & sustentas illam. Non est, quod amplius tanti aestimetur amor, quem Rex Assverus ostendit Estheri suæ consorti, quando assidens in Throno suo, numerosâ stipatus aulâ, coronatus diademate caput, manibus intorquens sceptrum, totus magni Regis refulgens Majestate; aspexit ipsam ad pedes suos prostratam, tremore convulsam, pavore percussam, deficientem animo, & ferè morientem, eoque reverentia & timor extorserant propè Illustrissimæ huic sceminæ animam & spiritum: Amor non minus tener, quam fortis, quo magnus hic princeps ferebatur in ipsam, induxit illius animo oblivionem Majestatis & magnificentiae suæ; unde mox prostratus penes ipsam humi, attollebat ipsam brachijs suis, sustentans illam & suavissimè demulcens blandissimis hisce verbis: Quid habes Esther? Noli timere, ego sum frater tuus, amans te velut meipsum, in-

R. P. Isaac Consultat. Tom. III.

timere tota mihi, nec metues.

Cuncta secula plurimi fecerunt bonitatem & benignitatem hanc in principe quodam terreno: Sed quæ comparatio hujus respectu bonitatis tuæ? O Rex gloriae æternæ! Tu infinitâ ratione major es Assvero, tu supremo jure imperas omnibus creaturis, in folio propriae divinitatis tuæ; & tamen cum videres ad pedes tuos, infelicem nostram naturam humanam contremiscere præ timore, ex intuitu terribilem judiciorum tuorum, languere præ imbecillitate sub pondere iniquitatum suarum, deficere animo & penè mori obrutam diluvio miseriarum, tantæ fuisti bonitatis erga illam, ut eo nomine descenderis è throno Majestatis tuæ, ut sustentares ipsam in terris, sed modò tam nobili, tam suavi, tamque sublimi supra omne id, quod facere poterat Assverus, ut nulla inter ipsos institui debeat comparatio. Princeps hic non nimium depressit, nec humiliavit se, descendendo è Throno, quinque vel sex gradibus sublimato à terrâ, ut sustentaret aliquam Reginam animo fatiscentem: Et tu magne Rex Regum descendisti è folio Majestatis tuæ, infinitâ ratione sublimato supra omnem altitudinem, teque abjecisti in summæ vilitatis abyssum, ut erigeres ut sustentares infelix aliquod mancipium, sceleratam & facinorosam adversariam tuam, naturam nempe humanam,

Filius Dei plus facit, quam Assverus.

Z z

que

quæ non nisi, tuo digna fuerat odio ac despiciatu. O bonitas! bonitas infinita, quàm es incomprehensibilis!

Ulterius Princeps hic non sustentabat Reginam suam, nisi brachijs suis & aliquibus solùm momenti: Et tu Domine sustentas pauperem nostram naturam humanam non solùm brachijs Omnipotentiae tuae portantibus totum hoc universum; sed ipsâ substantiâ propriâ tuae personae divinæ; ita ut idem fulcrum & sulcimentum, quòd subsistere facit divinitatem tuam, faciat etiam subsistere nostram Humanitatem; Et hoc non aliquibus duntaxat momentis, diebus vel horis, sed in omnem prorsus æternitatem; cum enim illam semel susceperis sustentandam, amor tuus nunquam dimittere aut volet, aut poterit ipsam. O amor Dei omnipotentis erga vilissimam creaturam suam, quàm es admirabilis! quis diffitebitur, quin infinitâ ratione transcendat Assverum amorem?

Efficax motivum a-mandi JESUM Christum.

Præcipuum est, quòd Princeps hic sustentando Estherem brachijs suis, non conjunxit se, nec adhererit tam arctè & fortiter illi, ut una eademque cum ipsâ evaserit personâ; portentosus hic effectus infiniti amoris, non est possibilis nisi tibi soli, ô bonitas infinita! Tu eousque pertingis, ô DEUS, ut non contentus erigere Humanitatem nostram è pulvere, in quo

languerat, facias considerare ipsam in Throno tuo, velut te ipsum, & te ipsum velis ipsam esse: Tu tam arctâ unione vis ipsam tibi uniri, ut non solùm velis ipsam similem esse tibi, sed non nisi unicam & solam, non nisi eandem esse tecum personam. Cum ergo similitudo efficacissimum inter alia sit medium conciliandi sibi amorem; hæc, quæ omne similitudinis transgreditur genus, tantùm non habeat facultatis, ut ignem amoris sacri accendat in cordibus nostris.

Secundò si jungenda similitudini est familiaritas ad conciliandum sibi amorem: quantâ cum admiratione videre licet infinitam hanc Majestatem sese demittete usque ad nostras infirmitates, usque ad nostras puerilitates, usque ad nostra crepundia, ut familiarem se nobis redderet, qui minores sumus vermiculis terræ & minimis atomis coram infinitâ ipsius Majestate? Quid desiderari possit ad ostendendum maximam familiaritatem, quæ subire mentem valeat & cogitationes hominum! An deponenda est magnificentia & severitas, & induenda ex adverso mansuetudo, suavitas, benignitas? Ecce parvulum induit infantem, qui non nisi dulcedo est, lenitas & comitas: Non dices amplius, aspiciendo ipsum, quòd dicebat Job contremiscens præ timore: *Manum tuam longè fac à me, & formido tua non me terreat: Accede illum,*

Quàm familiaris se Majestas Dei nobiscum.

Job. 13. 7.
21.

lum, non videbis nisi suaves in oculis ipsius blanditias, nisi jucundum in facie ipsius risum, tibi parva sua porriget brachiola ad lenocinandum tibi.

Deus loquitur nobis ad cor.

Oportet conversari, loqui corde sincero, & communicare intima cordis sui arcana alicui amico, ad exhibendum illi permagnæ familiaritatis notam: Audi quâ ratione JESUS CHRISTUS loquatur nobis in personâ Apostolorum suorum: *Fam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos; quia omnia, quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Hem! quis conqueri possit, quòd Deus non loquatur sibi cordialiter, majori cum confidentiâ & familiaritate, quàm loqui possit amicus amico suo? Hem! quando ita locutus est alicui? quando recipere se voluit solus cum solo, ut ageret clam cum ipso in oratione.

Unde est, quòd animæ spirituales addiscant ex alloquio ipsius tot sublimes veritates, incognitas mundi sapientibus, quas doctissimi quique nunquam invenient in libris; nisi quòd Deus ita familiaris sit cum amicis suis, ut nihil celet eos, quòd sciendi habent capacitatem? Ipsi sunt depositarij arcanorum Dei; hinc quando nobis loquantur, nobisque aliquid declarant ex eo, quòd ab ipso didicerunt, admiramur illos, & velut oracula auscultamus. O boni-

tas? & familiaritas Supremæ Majestatis Dei cum hominibus terræ? Quis est, qui cognoscat te? quis est, qui vel modicum tui capiat experimentum, quin capiatur amore tui, quin diligat te ex totâ amicitâ suâ?

Quid ultra requiritur ad demonstrandam perfectissimam familiaritatem? Requiritur cognitio omnium, quæ concernunt amicum; cordi habere omnia, quæ attinent ipsum; curam suscipere omnium negotiorum ipsius, etiam minorum. Audite, quid ipse dicat nobis in Evangelio; habiturum se curam etiam capilli minimi de capite nostro dilapsuri, nec permisurum, ut amittamus illum: *Capillus de capite vestro non peribit.* Si ita cordi habeat res vilissimas, negotia minima, quid credendum est facturum ipsum circa illa, quæ majoris momenti sunt ac ponderis? An unquam invenias in terris amicum, qui tantâ utatur familiaritate cum amico suo! An exoptare quid posses amplius?

Utendum insuper est communimensâ, & sæpius manducandum cum amicis, ut ipsorum concilietur familiaritas? Ipse invitat nos ad mensam suam, tantâ nos accipit cum magnificentiâ, tantâ cum lætitiâ, ut Beatis in cælo non alia apponantur sercula, quàm nobis; & quòd denotat cum ingenti hæc magnificentiâ familiaritatem maximam, est, quòd accipiat ex seipso

Z z 2 omnia,

Deus curâ suscipit omnium.

Luc. 21.
7. 12.

Deus manducat nobiscum familiariter.

Deus communicat nobis sua arcana.

omnia, quæ apponit nobis. Quando excipimus convivio exteros, mittimus procul conquistum omnia, quæ haberi possunt; sed quando manducamus cum amicis nostris familiaribus, accipimus, quæ penes nos sunt, nobisque domi sunt obvia, & hoc dicitur uti ipsis familiariter. An quidquam tam stupendum sit, quam conjunctam videre magnificentiam Dei, cum intimi amici familiaritate? Quando nos invitat ad divinam suam mensam, manducare nos secum vult domesticè, si ita dicere licet; nutrit & cibatur nos eadem substantiâ, ex quâ tres adorandæ Trinitatis personæ vivunt ab æterno; nihilominus tam familiariter in hoc agit nobiscum, ut foras non mittat comparatum sibi fercula, sed accipit, quæ penes se sunt, & apponit nobis: Hoc non sufficit, ad satisfaciendum suæ familiaritati; accipit semetipsum, seque totum integrum familiaribus amicis suis præbet & porrigit manducandum, vult ingredi in viscera ipsorum, affert illis vitam suam divinam, & omnes æternitatis thesauros usque in intima cordis ipsius penetrat.

Summus familiaritatis excessus, quo cogamur, quasi amare Christum,

Quomodo exponam, quod facit? omnia id exhaurit verba, omne sermonis exsiccat flumen. Transsubstantiat panem in Corpus suum, ut nobis non præbeat manducandum panem ad mensam suam, sed carnem suam, & proprium Corpus

suum: Et insuper videtur, quod transsubstantia ne nos ratione quâdam velit in seipsum, vel saltem consubstantiare nos secum, si uti mihi hoc liceat termino, sicut qui misceret ceram liquefactam cum cerâ alterâ (est comparatio, quam affert aliquis à Patribus Ecclesiæ) ad faciendum nonnisi rem unam, & unam eandemque substantiam ex ambobus. Quid est hoc Majestas adoranda! Quomam te abripit nimius familiaritatis tuæ excessus, ad ostendendam nobis, quod ames nos, nostrasque obstringendum animas, ut amorem tibi reddant pro amore? an unquam quid factum ejusmodi? Angeli celorum! ingenia hominum in terris! cogitate, recogitate, indagatè, perscrutamini omnes simul omnia, quæ possideris, quæcunque volueritis, in abditissimis scientiarum vestrarum thesauris; an efformare vobis unquam potuissetis idæam familiaritatis admitte, quâ infinita Majestas Dei nutrit cum pauperculâ, cum parvulâ creaturâ suâ! si igitur familiaritas fortissimum amicitiae est vinculum; quâ ratione intueri poterimus tam perfectam Dei nobilium familiaritatem in mysterio Incarnationis, & non amare illum ex totis viribus nostris!

Tandem si similitudini & familiaritati necesse sunt beneficia, ad conciliandum sibi amorem; præcipuè resplendere hic videmus magnâ.

JEHUS
CHRISTUS
accum
nos be
ficiis.
lucret
corda
stra.

JEſus
Chriſtus
accumulat
nos bene-
ficiis, ut
lucretor
corda no-
ſtra.

gnificam & munificam liberalita-
tem Dei. Quo nomine quaſo ve-
nit ipſe è cælo, quaſtum nos in
terris? Quare ſe reddidit omninò
ſimilem nobis? Ecce exhibuit ſe
nobis adeò familiarè, niſi ut ſuis
nos accumularet beneficijs? Ec-
cleſia effortans velut aliquam
Echo ad voces Prophetiarum vete-
ris Teſtamenti, exclamat tota ab-
repta gaudio, aſpiciens ipſum à
longè venientem ad nos: *Ecce ad-
venit Dominator Dominus*: Ecce
vobis illum; video appropinqua-
re ipſum nobis, ut nobis ſe donet
& adverte, ipſum quidpiam ma-
gni afferre nobis; Domine, quid in
tuis apportas manibus? quàm pre-
tioſas, quas affers nobis, intueor
divitias? *Regnum in manu ejus, &
potestas, & imperium.* Quale re-
gnum? qualis potestas quale im-
perium? Eſt regnum æternum
gloriæ: Eſt potestas divina & ſu-
pernaturalis; id eſt, potestas, qua
transcendit omnes vires naturæ:
Eſt imperium abſolutum ſuper om-
nes potestates humanas & inferna-
les, ſuper peccatum, ſuper affe-
ctus animi, ſuper vitia, & ſuper
id omne, quòd eſt infra Deum.

Hem! cui donabis hæc omnia:
paupereulis vobis homuncionibus
terræ: affero hæc è cælo, ut im-
pertiar vobis, dum amore veſtri
carnem aſſumo humanam: Exclu-
ſi eratis regno æterno Dei Patris
mei; illius vobis porta occluſa e-
rat perpetuò, aperio hanc vobis,

ad parandum vobis illuc acceſſum,
vosque inducendum in poſſeſſio-
nem hujus regni in æternum. Om-
nes eratis infecti ſummâ infirmita-
te naturæ ſauciata à morte per pec-
catum, exſpoliati potestate confi-
cendi unicum ſolum opus, quòd
acceptum eſſet Deo, & merito-
rium retributionis æternæ, impa-
res omninò ad liberandum voſmet
ipſos non ſolùm à criminibus ma-
joribus, ſed nec à minimo pecca-
to veniali: Venio collarurus vo-
bis potestatem liberandi vos ab om-
nibus veſtris peccatis, quantumvis
& plurimis & maximis, & hoc fa-
cilius, quàm liberare vos poſſetis
à minimâ infirmitate corporali; af-
fero vobis potestatem convertendi
omne malum veſtrum in bonum,
& efficiendi ex minimis vitæ veſtræ
actionibus, exquisitiſſima tanti va-
loris opera, ut nec unicum ſit futu-
rum quòd non mereatur coronam
gloriæ æternæ; potestatem re-
ſtituendi vitam æternam veſtris ani-
mabus per pœnitentiam, poſtquam
amiferant illam per peccatum; po-
testatem tandem conficiendi plus
per unicum ſolum actum occul-
tum voluntatis veſtræ, amantiſ-
ſimum Deum ſuum, quàm omnes homi-
nes terræ conficere poſſent annis
millenis, per omnes vires ſuas na-
turales.

Eratis omnes mancipia illigata
ſub tyrannide demonum: porta-
batis omnes jugam intolerabile
peccati, inordinatorum veſtrorum

affectuum, legumque iniquarum sæculi: serviebatis Dijs alienis, quæ sunt idola, vel monstra domestica, vitijs inquam vestris: Et innumeri exercebant in vos Domini durum adedò imperium, ut conditio vestra deterior esset illà bestiarum: affecto & impertior vobis imperium absolutum super hæc omnia; non serviens deinceps amplius omnibus hisce tyrannis, eòquòd nullum habituri sint amplius imperium super vos: prostratos tenebitis illos sub pedibus vestris, & ipsi inservient ad locupletandum vos tot coronis, quot reportabitis victorias de ijs, opitulante gratiarum mearum potestate & auxilio.

Nonne audis ipsum loquentem absolutà cum auctoritate in Evangelio: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terrâ?* Ecce, quòd teneat imperium absolutum in divinis suis manibus, illudque nobis afferat; & vide, quòmodo consecrat illud Apostolis, & in ipsis, cunctis Ecclesiæ suæ fidelibus: Imperitatur & confert illis virtutem in omnes dæmones, omnesque infirmitates: quàm stupendum imperium est hoc: Et paulò post inquit illis: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Nonne hoc est imperium absolutum? Nec quæras, ubi sit hujus exercitium imperij, cum adhuc hodie plerique homines suarum

sint passionum, vitiorum, dæmonum, tyrannicarum mundi legum mancipia. Hi nonnisi vecordes sunt & ignavi, qui sponte submittere se volunt ipsorum tyrannidi; & nonnisi genetosorum est, quibus sit animus resistendi illis.

Nonne per cuncta sæcula innumeros videre erat Christianos, qui triumphaverint de dæmonibus & toto inferno, illuserint ipsis, atque suam expronaverint illis imbecillitatem? Sanctus Antonius palmam id fecit; plurimi alij fecerunt, & faciunt adhuc quotidie invisibiliter. Nonne videre erat copiosissimos Martyrum greges de cunctis mundi potestatibus triumphantes, risuque excipientes rabiem Tyrannorum? Quot & quantos aspicere licebat alios, qui tolerarunt & tolerant adhuc indies millenas tyrannides, abs eo, quòd suæ amittant pacem & quietem animæ? Nonne ubivis semper videre erat & videre est hodiedum innumeras bonas animas, victrices de vitijs & peccatis, vitam exigentes sanctam in perfectâ innocentia? Quis dissitebitur, quin hoc sit habere imperium absolutum super omnes virtutes inimicorum nostrorum? Ecce eximia profus beneficia, quibus JESUS CHRISTUS nos venit locupletatum in terris. *Ecce advenit dominatur Dominus, & regnum in manu ejus, & potestas & imperium.*

Redeo igitur ad resumendum id, quod

Apparet manifestè exercitium hujus imperij in plurimis Christianis

Bene c
detra
sunt r
hæc m
v

Bene confi-
deranda
sunt tria
hæc moti-
va.

quod dixeram deinceps, ad con-
cludendum id, quod proposueram
ab initio: Tria præcipua sunt effi-
cacia motiva ad conciliandum sibi
amorem; similitudo, familiaritas,
& beneficia: Vide, an non verum
sit, quod JESUS Christus in
mysterio Incarnationis adhibuerit
illa omnia, ad inflammandum a-
more suo corda nostra: Reddidit
se totum similem nobis; familiari-
ter egit nobiscum; nosque suis ad-

auxit beneficijs. Quid excusatio-
nis afferre illi possumus, si non a-
memus ipsum ex toto corde no-
stro? Relinquo vestræ discuti-
endas meditationi fortes has & effica-
ces ipsum amandi rationes: Si be-
ne, uti oportet, illas agnoveritis,
optimus erit fructus, quem colli-
getis ex suâ consultatione, exspe-
ctando, quoad institua-
mus aliam.

* *
*



CONSULTATIO XII.

*Palatium exornatum, ubi fit sermo de Gratis,
quibus locupletavit Deus Sanctissimam Virginem, ut digne præ-
pararet ipsam ad recipiendam Majestatem Dei, in pu-
rissimo utero suo.*



Gebatur vigilia ma-
gni cujusdam Fe-
sti, ubi omnes oc-
cupati erant in ex-
ornandâ Ecclesiâ:
mutuanda erat cer-
ta quædam suppellex, veluti tape-
tes & nonnullæ imagines à quâdam
Dominâ, quæ nec mundana ad-
modum erat, nec admodum de-
vota, annumeranda meritò ambi-
guorum illorum numero, qui sunt,
sicut nominare tibi illas placuerit,
parumper spirituales, paulisper sæ-
culares, qui concordare quærunt

cum mundo Deum, neutri volen-
tes displicere, quasi ire nollent nec
in infernum, nec in paradysum.
Concedebat ipsa satis promptè,
quod à se petebatur, affirmans,
vertere se sibi summæ felicitati,
quod suam posset exspoliare do-
mum, ad contribuendum adorna-
tioni domus Dei. Sed devota
quædam & zelatrix, quæ coram
aderat, cum videret ipsam tam bo-
næ ac promptæ voluntatis, roga-
vit ipsam, ut commodatum daret
quidpiam è pretiosiori suo thesau-
ro, & suppellectili magis splendi-
do